



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De charitate Liber VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

EVANGELIUM

LISTARII MARCI MARV

li Liber sextus, sub charitatis titulo, qui grati sint in deum vel ingrati, quo pacto prædicatorem docere conueniat, quomodo labori manuum ut orium euitetur, insistendum sit, in quodentq; vera & falsa consistat humilitas, diserte edocens.

Vtrum deo reddi possit beneficium. Caput .I.



Non possumus (vt quidam aiunt) deo dare beneficium, cum eius omnia sint, sic neq; gratiam referre, cum nullius rei indigeat, bonorumque omnium plenissimus existat. Quid ergo sæpe in scripturis de ingratitude nostra querentem audim?

Ingratitudinis autem non iure argueretur, qui gratus esse nequiuisset. Quæ igitur illa res est, quæ nos erga deum aut ingratos reddat, aut gratos faciat? Cuncta namque dei sunt. Quicquid dare uoluero, de suo dem necesse est, quicquid reddere conabor, ipse dedit quod reddo.

Quid habes (inquit Apostolus) quod non accepisti? Sed a quo omnia quæ habemus accepimus, ei proculdubio nec dare nec reddere quicquid possumus, nisi quod ipse largitus est. Si tamen esse aliquid beneficii, quod seruus domino suo tribuere possit inuenerimus, quamuis omnia quæ seruus possidet, domini sunt, inuentemus & quod homines offerre queant deo, & ille oblatum beneficii loco habeat, offerre vero nolentem ingratitude damnet. Quæro igitur, si seruus fideliter seruit, si domini iussa nauiter exequitur, si rem gratam domino facturum non dubitat subire capitis periculum, si nec uiuere cum illo, nec mori pro illo, si casus inciderit, recusat, præstat ne domi-

no beneficii an non? Si negaueris, respondebo tibi, sine causa ergo benignius quam reliqui eiusdem conditionis a domino accipitur, sine causa manu mittitur, & iam non ut seruus aut libertus, sed ut filius diligitur. Im merito certe ista in seruum conferuntur, si nullum domino beneficium praestitit. Sed qui talia a domino meruit accipere, negari non potest quin praestiterit aliquid, ob quod talia accipere visus est dignus. Rursum si erro fugitiuusque fuerit, si imperium domini contempserit, si furto non abstinerit, si petulans, si mendax, si ebriosus si rixosus, si denique nequam fuerit, nonne vinculis constringetur, stigmate notabit, furcam ferre cogetur, flagris verberibusque caedetur, & vel venundabitur, vel pimetur? Inique talia passum diceremus malum seruum, nisi offendisset: sicut bonum non iure remuneratum, nisi si aliquid praestitisset. Cum igitur omnium hominum vnus dominus deus sit, & omnia quae possidemus, ab ipso acceperimus, beneficium tamen ei praestamus, vel verius reddimus, quoties mandatis eius paremus, quoties consulta suscipimus, monita implemus, & in omnibus ipsi soli obsequi nitimur. Offendimus autem, si his contraria agimus. Ideoque ab illo & iusti praemium referunt, & poenam iniqui, non quod deo ex benefactis hominum aliquid accedat, aut decedat ex malefactis. cui neque addi quicquam neque adimi potest, sed quia idem tum iustissimus, tum optimus sit, non potest non odisse malos, neque bonos non diligere, & hoc quidem pro beneficio sibi dato aestimat, si quod praecipit facimus, pro offensa, si non facimus. Atque ideo alios gratos vocat, alios ingratos, hos punit, illos efficit beatos. De ingratis dicturus est, si euangelio credimus. Quodcumque vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis, e contrario autem gratos illud beneficium sibi praestitisse fatebitur, quod indigentibus praestiterunt. Ingratos damnabit, dicens Ire maledicti in ignem aeternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Gratos vero ad se vocabit, & dicet. Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi, ab

Mat. 25

initio æternitatis. Vide igitur qua ratione & demus deo beneficia, & accipiamus præmia, & quomodo si non de derimus, mulctandi simus. Atque ut apertius hoc quod astruimus intelligas, qui in deum credit, qui deo obtinuit, qui deum diligit, honorat, colit, veneratur, gratus est. Incredulus, expes, impius, deum hominesque contemnens, ingratus est. Nullum postremo peccatum, quod legi aduersatur diuinæ, ingratitude vitio vacat. Illud enim offendimus, quoties peccamus, a quo cuncta bona que homini dari queunt, accipimus, accepturi adhuc meliora, si non ingrati decesserimus. Opera pretium erit, huius rei proponere aliquot exempla: & primo eorum quos dominus gratiam sibi referentes amplexatus est: deinde illorum quibus pro ingratitude intulit mala: ut cum præsentia considerauerimus, de futuris non ambigamus: beatos videlicet & in celo fore, qui sic a domino diliguntur in terra. Eccontrario autem in inferno quoque cruciandos esse, si non se correxerint: qui antequam eo descendant, pro scelere puniuntur.

De gratis erga deum in testamento veteri. Caput II.

Igitur ut ab his qui ante diluuium fuere, initium capiamus, gratus erga deum fuit Abel, qui primogenita & pinguiora quæque gregis sui offerebat domino. Quod autem propterea a domino dilectus fuerit, scriptura testatur. Ait enim: Respexit deus ad sacrificia Abel, ad Cain autem sacrificia non respexit. Maledixit quoque Caino dominus, quia ille ob hoc ipsum fratri inuidens, quod sibi præferretur, ad se euocatum interfecerat. Gratus fuit Enos, primus quippe cantica quædam hymnosque composuit, quibus nomen domini inuocaret, pro quo dedit ei dominus, ut filios gigneret, & nongentosquinque vitæ annos absque offensa impleteret. Gratus fuit Enoch. Neque enim diceretur ambulasse cum deo, nisi ei semper obsequentissimus fuisset. Morum itaque sanctimonia meruit, ut viuens ad beatiora quam est mortalium habitatio, loca transportaretur. Gratus

Abel.
Gen. 4.

Enos.
Gen. 5.

Enoch.
Ibidem

- Noe.**
Gen. 6. Noe. Nam & ipse cum deo ambulasse dicitur, & perfectus iustusque fuisse. Proinde dignus fuit qui, mundo per diluuium pereunte, solus cum filiis ac nurius fieret superstes, & omnium quae aquis deleta fuere, reparator existeret. Post diluuium vero gratus fuit Abraham. Po-
Abraham.
Gen. 11. fuit enim altaria domino, victimas obtulit, decimas persoluit, deo credidit, & reputatum est ei ad iustitiam. denique ut domino obediret, filio non pepercit. Ob hoc quidem cum deo colloquitur, pater multarum gentium constituitur, in semine eius quod est Christus benedicenda omnes nationes deo promittente nascuntur. Gratus fuit Loth; ut enim deo placeret, domi peregrinos acceptauit, quare meruit fieri hospes angelorum, & superesse Sodomitis, inter quos habitabat, igne & sulphure de caelo pluate ob scelera consumptis. Gratus fuit Isaac, qui cum centum octoginta vixisset annos, in his omnibus domino suo non peccauit. Perquam digne autem deo gratia refertur, cum innocentia per omne vitae curriculum inoffensa seruator. Hic igitur bene de deo meritus, cum sementem fecisset, centuplum collegit, geminos genuit, in quibus benedicendis errare non est permittus, non enim cui voluit, sed cui debuit benedixit, ut Abraham patris genus in Christum dirigeretur. Gratus fuit Iacob, in nullo illum scriptura accusat, & deo charissimum fuisse beneficia testantur. Ad eum primogenita fratris Esau transferuntur, dicente domino: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Cum obdormisset, scalam vidit a terra ad caelum extentam, & in ea angelos ascendentes & descendentes, ac dominum cacumini innixum, qui terram in qua quiescebat ei promisit, regnumque eius longe lateque diffundendum praedixit. Inde ille parens efficitur duodecim liberorum, qui duodecim tribubus nomen dederunt, coepitque est vocari Israel, hoc est, deum videns; & vidi (inquit) dominum facie ad faciem. In Aegyptum transmigrans multiplicatur. Liberis quae euentura erant moriens prophetauit. Gratus fuit Ioseph in Aegyptio dum se uisisset & iuuentis impudenter se ingerentis dominae libi-

diuini non consensit, maluitque vitam suam periclitari, quam
 castitatem pollui, cum ab illa irata tentari adulterum in
 simularetur. Magnam deinde fratrum in se iniuriam cum
 vlcisci posset, magnis rependit beneficiis: eos quippe a
 quibus in seruitutem venundatus fuerat, in Aegyptum
 urgente fame profectos benigne suscepit, largiterque
 aluit. Erat enim secundus a rege, cuius visa obscurita-
 tibus inuoluta spiritu sancto reuelante plana fecerat.
 Gratus fuit Moyses: filias Raguelis sacerdotis virgi-
 nes a pastorum violentia tutatus est. Hinc a domino dux
 electus, Pharaonem prodigijs terruit, populum Israel
 eduxit de Aegypto, quando mare se aperiens aridum
 transeuntibus praebuit iter, & eorum persecutores op-
 pressit aquis. Idem deinde in monte leges quas ad po-
 pulum ferret, a domino accepit: nemo tam familiari-
 ter cum deo colloquebatur, nemo tam ardentem ab eo ad
 idola desciscientes puniuit. Ipso saxum percutiente flu-
 xerunt aquae: ipso orante, Amalech superatus est. Gra-
 tus fuit Iosue, diuinis enim credens promissionibus po-
 pulum reges terrae quam ingressurus erat metuentem,
 spe victoriae animauit. Proinde dignus fuit, qui in de-
 mortui Moyse locum sufficeretur, & victis hostibus re-
 gionem a domino promissam obtineret, eamque per tri-
 bus diuideret. Ad hanc transeunti Iordanis refrenato
 aquarum cursu in sicco alueo viam cessit. Hierichum
 obsidente muri corruerunt. Inimicos persequente sol &
 luna steterunt, ne noctis interuentu qui fugiebant elab-
 berentur. Tot igitur miraculis testatum est, quantum
 ei dominus faueret, quia erga se in omnibus gratum fi-
 dumque sciebat. Sed ne catalogum sanctorum texere vi-
 deatur grati erga Deum fuere omnes illi patriarchae, il-
 li duces, illi sacerdotes, illi iudices, illi reges, illi pro-
 phetae, qui in mandatis dei, in lege in omnibus ceremo-
 nijs constanter pieque permansere. Tales autem eligere soli-
 tus est dominus per quos populum erudiret, a seruitute liberaret
 a periculis erueret, victoria donaret, & de illis quae futura
 erant admoneret. Quod si benignissimus dominus fideliter
 sibi seruientes, beneficiorumque suorum non oblitus,

Moyses.

Exo. 2.

Exo. 31.

Iosue

Nume. 14

Patriar-
chae.

Ita vt dictum est fouet, ita amplexatur in terris adhuc viuentes, quanto magis ad cælestis beatitudinis domicilia mansionesque angelorum translatos? Hæc de veteris historiæ fontibus hausta iam exigere videntur, vt a nouæ salubrius fluētibus aquis aliqua deriuemus, ad eandem gratitudinis virtutem accommodata.

De gratis erga deum in testamen
to nouo. Cap. III.

Matt. 4.

Iesus Christus dei filius, humani generis redemptor ac saluator, patribus promissus, nobis exhibitus & datus, non præsentia bona hominibus polliceri cepit, sed futura: nec terrenum largiri regnum, sed cæleste. Pœnitentiã agite (inquit) & appropinquabit regnũ cælorum. Et ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso. Quod si tandem, non vt olim ad inferos animæ iustorum descendant, sed in sublime angelorum sedibus inferantur, iucundissimo domini sui cõspectu semper fruatur, nonne multo nos causatus quam prisca illi, de quibus paulo ante est dictum, deo seruire debemus, & solim nauare operam, contemptisque omnibus ipsum vnum absque quo nihil est beatum, tota mente concupiscere? Merito igitur sequens credentium ætas ad omnia dura atque aspera perterenda cepit accingi, mollia vero respicere & delicata: atque in his præcipue gratiam referre saluatori, per quæ maximum omnium beneficium se accepisse meminit. Quid enim maius aut optabilius esse potuit, quam paradisi p̄ tot secula primi hominis culpa clausum, per ea demum quæ Christus passus est, nob̄ fuisse reueratam? Oportuit enim pati Christum, & sic intrare in gloriã suã. Oportet igit̄ pati & nos, ac p̄ vestigia eius incedere, si illo q̄ ipse p̄cessit, volum⁹ puenire. Hæc ẽ ergo n̄ostre erga deũ maxima gratitudo, pro amore illius, qui prior dilexit nos, voluptates, opes, otia cõtemnere, continentia seruare, modico contentos esse, religiosæ vitæ laboribus nunquam defatigari. Talẽ quippe, p̄ b̄nificijs gratiam primo deo retulere Apostoli, deinde Martyres ceteriq; Ch̄ri serui, ygines q̄q; & viduæ

Lucæ. 4.

omnesq; illi qui ecclesiæ autoritate in sanctorum collegio numerantur. Pro Christi nomine non dubitavit Petrus crucifigi, Paulus capite truncari, Iohannes in feruentis olei dolium nudus demergi, Bartholomæus viuis excoriari, Thomas lanceis perfodi, Iacobus maior decollari, minor iuste fullonis interimi, Stephanus lapidibus obrui, Laurentius igne cremari, omnes denique per tormenta consumi. Hoc idem propositum fuit reliquorum sanctorum omnium necem videlicet a persecutoribus inferendam subire potius quam a Christi fide deficere. Illos quibus hoc contigit, Apostolus ad Hebræos scribens pulchre percenset, cum ait: Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Noli expectare vt audias, qd hi prosperitatis in vita perceperint, qui ad quæq; laboriosa sustinenda magno animo se armauerant. Si tamen nos se desideras, nihil illis prosperius contingere potuit. qd per aduersitatum patientiam ostendere, quali constantia, quantumq; fide Christum diligere. Adde quod illos quoque a quibus necem suppliciaq; passi sunt, victores tuerint. Præualuit enim patientium fides impietati persecutorum, & contempto inanium decorum cultu ab omnibus adorari cœptus est Christus. Nequaquam sancti martyres coronati triumpharent in cælo nisi in terra vicissent. Vera fidelium victoria est, neq; deici aduersis, neq; secundis efferri, deo magis quam hominibus obedire, & carnem spiritui repugnantem in seruitutem redigere. Quæ quidem & illi sancti, quos persecutionis non attingit gladius diligenter obseruarunt. Dum enim viuerent, non cessabant Christo seruiendo vitæ instituta vel ipsi discere, vel alios docere, vigilijs, precationibus, ieiunijs, lectionibusque vacare, diuitias indigentibus distribuere, & paupertate gaudere, virginitatem viduitatemq; nuptijs præferre. Sic egerunt in Pontifices summos pōrifices, Syluester, Gregorius, Leo, & Cæ Episcopi. Iustinus Inter episcopos, Martinus, Nicolaus, Ambrosius, & Augustinus. Inter abbates, Antonius, Hilarion, Abbates.

Apostoli.

Martyres.

Hebr. 11.

Fidei victoria.

Monachi. 400.

Marci Maruli.

Eremitæ.
Virgines.

Viduæ.

Hieronymus & Benedictus. Inter monachos Dominicus, Vincentius, Franciscus & Bernardinus. Inter eremitas, Paulus, Thebæus, Honophrius, Arsenius, Archebius, & Theonas. Inter virgines, Maria virgo simul & mater, ipsum enim genuit saluatorem, quæ sicut de Spiritu sancto concepit, ita sine virginitatis damno peperit. Hanc secutæ sunt Thecla, Agatha, Hagnes, Lucia, Catharina, Cecilia, Margareta, Barbara, aliæque pmultæ, quas ad coniugium nulla blandientium promissa, nullæ furentium minæ, nullæ sævientium tormenta inclinare poterunt. Omnia extrema perpeti malebant, quam domino semel promissam amittere virginitatem. Inter viduas vero perpetuam continentiam custodientes fuerunt, Anna, Paula, Galla, Melania, Monacha, & aliæ plurimæ. Talium vitam moresque sequatur oportet, qui cumulatissimam deo gratiam cupit referre, ac post relatam ab ipso suscipi & immortalitatis gloria in cælestibus veſiri. Proponamus nunc ingratorum exempla: vt quos præmia ad virtutem parum excitant, saltem pœna a vicijs auocet.

¶ De ingratis ante diluuium.
Caput. IIII.

Adam &
Eua.

Genæ. 3.

PRIMI parentes nostri donec beneficiorum memores iussioni diuinæ obtemperarunt, paradisi in quo positi erant, bonis fruebantur. Postquam vero per ingratitude a mandato recessere ligni vetiti fructum gustando, eieci de paradiso, laboribus, ærumnis, mortis subiacerunt. Et enim peccauerant (licet postea penitentiam egisse credantur) a quo corpus, a quo spiritum, sensum, intellectum, dei similitudinem acceperant: a quo præesse bestijs terræ, & volucris cæli, & piscibus maris iussi erant: vt his quæ terra proferret vescerent, & simul ligna, lapides, metalla, ignem quoque & aquam, tellurem & aera in vsum vitæ necessarium haberent. Merito igitur malis mancipati sunt, cum talem ac tantum benefactorem offendissent. Mulier quia prior peccauerat, viri subditur imperio, & pariendi cruciatibus mul-

statu, ut voluptatem quam cepit, fructum interd-
ctum manducando, filios generando dolore compēset.
Merito etiam Adæ est dictum: Maledicta terra in ope-
re tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ
tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes her-
bas terræ; in sudore vultus tui vesceris pane tuo, do-
nec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis
es, & in puluerem reuerteris. Tot igitur mala passi sunt
post reatum, quot antequam peccassent, bonis frueban-
tur. Non esset magnum eorum crimen, nisi & magna
essent illius beneficia, in quem commissum est. Non tā
enim ex se, quam ex meritis eius qui offensus est, ingra-
titudinis culpa pensari debet. Itaq; quam grauius pec-
cauerint, pœna indicat, quæ quidem ad posteros omnes
fuit propagata, propter corruptam radicem, de qua ge-
nerantur. Et quoniam nihil ab homine nequiter agi-
tur, quod ingratitude in deum non sit ascribendum:
Ingratus fuit etiam Cain Adæ filius, qui inuidiæ furo-
re percitus interemit fratrem suum Abel. Ob hoc il-
lum dominus execratus est, dicens: Maledictus eris su-
per terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem
fratris tui de manu tua: cum operatus fueris eam, non
dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris sup ter-
ram omnibus diebus vitæ tuæ. Postremo & ipse inter-
fectus fuisse creditur in septima generatione, ut prius
annos multos aduersa sustineret maledictionis, deinde
quod fratri intulerat, ipse ab alijs ferret. Neque illa qui-
dem parua fuit ingratitude, illa malitia, quæ deum ad
pœnitentiã compulit, quod hominem fecisset. Nemo
qui ei non peccauerat inuentus est. Omnis caro (inquit)
corruperat viam suam, præter illas octo animas quæ
in arcâ seruatae sunt, ne cum cæteris diluuiο perirent.
Porro si quis quanta tunc fuerit culpa ingratorū, multæ be-
stiā cataclysmo sup fuerunt, illoꝝ nemo. Post diluuium
ingratissimos omnium semper fuisse Iudæos cōperio, il-
los excipimus, quoz̄ superius facta ē mētio. Etenim cū
ab ipse mundi domino multo plura quā reliquæ natio-

Cain.
Gene. 4.

Gene. 6.

Iudæi.

nes beneficia accepissent, magis etiam constanter illum colere debuerunt.

De beneficijs Iudæis collatis
post diluuium. Ca. V.

Iudæi.

Videamus igitur primo, quænam illis ab indulgentissimo rerum largitore deo præstita fuerint bona, deinde quam ingratis ipsi ex aduerso se gessere, & simul quæ postea passi sunt mala. Solis vnus dei vitas fuit reuelata, solis leges de cælo datæ, monstratus ceremoniarum ritus, oracula futurorum indulta, dei voces palam locutæ. ingentium miraculorū operatio concessa, deo fauente timuit eos Aegyptus, & cū dimittere nollet, flagella sustinuit, mare se aperiens sic euntibus præbuit iter, & aquæ quæ illis hinc de muro erant, Aegyptios cum armis hostiliter insequentes operuere, in solitudine manna cælestis cibum pabulum illis præbuit & de saxo yga percusso scaturiens amnis potum. Iordanis ad fontem suum reuersus perstitit donec transirent, terram denique promissionis lacte & melle manantem; per domitis eius incolis possederunt. Quis denique explicet tot de hoste victorias, tot a seruitute liberationes, vel quoties a periculis eruti, a cladibus protecti? Moysè orante (vt ante diximus) victus est Amalech, buccinis clangentibus, Hierichūtis mœnia corruerunt. Iosue inimicos persequente, lapidibus pluit de cælo sup fugientium ceruices: ac ne noctis interuētū claberentur, sol & luna motum suum continuerunt. Nulla vnquam fuit longior dies, quam ista in qua quinque regum Chananzorum prostratus est exercitus. Balam præterea propheta asinæ loquentis voce prohibitus est eis maledicere, & pro maledicto induxit super illos benedictionem, benedictos a deo esse non dubitans, pro quibus mutum animal vocem protulerit humanā, victi sunt deinde Palestini tonitru & fragore de cælo territi. Holophernes Chaldaeorum dux, cum vrbes aliorum prouinciasque expugnasset, in Iudæa vnus feminæ manu victus occubuit. Regnante Hierosolymis

Aſa, innumerabiles Aethiopum copias ad internici-
nem conciderunt. Regnante Iofaphato, cum ingentem
Ammonitarum Idumæorumq; exercitum formidaret
inimicos inter ſe digladiantes conſpexerunt, mutuocq;
cæſorum tulerunt ſpolia tam ſecuri, quam paulo ante
pauſaſti. Regnante Ezechia, cum ab Aſſyrijs duce Se-
nacheribo obſiderentur, angeli manu, vna nocte cætum
oſtrogintaquinque milibus hoſtium cæſis, obſidione ſo-
luti ſunt. Omitto nunc Machabæos, Iudam, Simonem,
Ionatham, qui dei ſui nomine inuocato, parua manu
ingentes hoſtium copias pluries fudere. Magna qdem
& immenſa beneficia hæc, maiora tamen accepturi e-
rant, ſi iſtorum quæ acceperant largitorem non deſe-
ruiſſent. Nunc ergo quod ſuper eſt, breuiter expediemus
qua ingratitude uſi ſint quantaq; deo ulciſcente pati
meruere.

De ingratitude Iudæorum in
deum, & quæ pro idololatria
paſſi ſint,

Caput VI.

Longum admodum foret memorare ſcclera ſin-
gularum, qui inter Iudæos impij infidicq; fuce.
Omnium ergo ſimul in deum ſuum infidelitas de-
tegetur, pœnaq; infidelitatis, vt cum hæc nota fuerint
ſimul conſtet & ingratitude magnitudo, & iuſti do-
mint in ingratos præſens vindicta, quam ſi quis euita-
uerit, nec tuturæ quidem, quæ omnium acerbiffima eſt
obnoxius erit. Dum Moyses, in monte immoratur, do-
nec tabulas digito dei conſcriptas acciperet, illi ad ido-
lolatriam conuerſi, vitulum æneum adorauerunt: & hi
ſunt (inquiunt) dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra
Aegypti. Ob hoc iratus dominus delere eos voluit, ſed
Moysi, p ipſis inſtanter ſupplicanti gratiam fecit. Moy-
ſes tamen indignos tabularum bñficio teſtatus, de mon-
te descendens ipſas confregit, vitulumq; contriuit, de-
inde deo iubente Leuitæ ſumptis armis de illo XXIII.

Exo. 32

millia fere, ex iis qui vitulum adorauerant, occiderunt, ut eum morte dignum esse noueris, qui in deum ingratus est. Post hæc contempto cælesti cibo cum Aegyptias dapes concupissent, aduersus deum & Moſen muſſitantes, prouocatus in iram dominus multa coturnicum vi castra operuit, ut cupidini eorum satisfaceret. Cæterum dum adhuc carnes dentibus manderent, animas efflabant, plurimiq; desiderati sunt, locus in huiusce vltionis memoriã, sepulchra concupiscentiæ appellatus. Rursum tamen pollicitationi diuinæ non adhibentes fidem, de obtinenda promissionis regione desperarunt. Ideoq; illam ingredi prorsus indigni, antequam fines eius attigissent, in deserto mortui sunt, præter Iesum & Caleph & paruulos populi qui non peccauerat. Quædraginta annos per solitudinem antequam terram incolendam adissent, errauerunt. Choræ quoq; Dathan, & Abironis castra vna cum ipsis terræ hiatu absorpta sunt: atq; inde subitus ignis exhalans, ducentos & quinquaginta viros, qui incensum offerebant, absumpsit, & hoc quidem, quia legi diuinæ aduersantes, usurpare sibi sacerdotium nitebantur. Vide tamen inconsultã vulgi audaciam: Nihil his quæ acciderat territi, Moſen & Aaronem nimis procaciter incessebant, perinde ac si ipsi eos qui perierant, interfecissent. Mox igitur ambo his ad tabernaculum confugientibus, incendium repente illatum vastare cœpit proteruos. Quatuordecim millia ex eis & septingentos concremauit. Omnes tunc perissent, ni Aaron iussu Moſi stans inter mortuos & viuentes, deum orasset. Ad eius preces cessauit ignis. Deus enim iniuriam illam illatam sibi deputat, quæ seruis suis indigne infertur. Quandoquidem sic vltus est eos, qui Moſen & Aaronem minaciter impetere ausi fuerat. Post hæc profecti de monte Hor per viam quæ ducit ad mare rubrum, pertæsi itineris laborem rursus reclamabant, sed neque hoc fuit illis impune. Ignitorum serpentum ictibus percussimoriebantur. Hinc tandem humilitatis ac veniam poscentibus, Moyses domino iubente serpentem ex ære formatum suspendit in ligno,

Chore &
Dathan.

quem vulnerati aspiciendo conualescebant . Id autem portendebat , quod olim in Christum dominum crucifixum credentes, a diaboli morsibus liberandi essent. Ignitus enim serpens, diabolus est: Christus æneus, nihil in se veneni habens, & veneno peccati infectos clementer sanans. Porro ut quod proposuimus prosequamur, iſdem Israelitæ cum appulissent ad Sethim, capti sunt amoribus Moabitidarum, ita ut deos quoque illarum adorarent, sed dignas quidem scelere isto pœnas dedere . Leuitæ quippe iussu domini vigintiquatuor millia de illis interimunt . Tunc demum deo placato, a cœdibus cessatum est, cum Zambrin virum & Zochim scortum, dum simul coissent, Phinees Eleazari sacerdotis filius, pugione in genitalibus confodit. Ut præterea pateret, non minori animaduersione dignos esse criminis impulsores quam autores, Madianitas quoque percuti iussit dominus, qui eos callide per mulierum blandimenta traxerant ad cultum idoli sui Belphegor. Multo tamen grauius deliquerunt, qui ad deos alienos conuerſi fuerant deo suo derelicto, nec mirabilem eius memores, nec erga beneficia grati. Tranſeamus ad tempore iudicium. Iosue defuncto, degenerauit populus. Colere cœpere Baal & Astarot, non numina, sed monstra. Ob hoc passi sunt direptiones rerumque detrimenta, nec omnino pares esse poterant viribus aduersariorum. Deinde, quoniam Palæstinis & Chananaeis alijsq; idololatriæ cultu & connubijs iungere se ausi fuerant deo pœnâ huiusce flagitijs exigente, annos octo seruerunt CUSANRASATHAIM Mesopotamiæ regi. Cum autem illos præuaricationis pœnituisset, liberati sunt. Sub liberatoribus quidem satis probe se habebant, illis vero vira defunctis, veluti laxato freno quocunque rationis expers appetitio vocasset, eo ferebantur. Itaque sub Othoniele etiam fidem deo seruauerunt, eo autem mortuo, statim ad idola desciuere, quâ obrem tunc quoq; seruire compulsi sunt EGLON Moabitarum regi annos octodecim. Deinde post obitum

Tempore
iudicium.

Aioth ducis, cum iterum, idola colere cepissent, oppressi sunt seruitute a Iabin Chananaeorum rege per annos viginti. Post Delberam quoque uxor m Lapidoth (& ipsa enim praefuit populo) peccauerunt, atque septem annis a Madianitis vexati sunt, fata frugesque eorum vastantibus. Item post Gedeonem, & erga familiam eius, a quo de inimicis liberati fuerant, ingrati extiterunt, & erga deum impii, ideoque per idem tempus externorum bello varie inquietati sunt. Post Abimelech, Tholam, & Iair praesides, itidem peccauerunt, & a Palaestinis mala passi sunt annis octodecim. Post Iephthe & Abessan & Ahilon & Abdon, rursum peccauerunt, & denuo a Palaestinis oppressi sunt seruitutis iugo per annos quadraginta. Post Samsonem vero inter se dissidere ceperunt, quando tribus Benjamin ob stupratam cuiusdam Leuitae conjugem, & per vinum in vna nocte multorum coitu lassatam atque extinctam pene interit, dum a reliquis tribus indigne id terentibus impugnatur. Primo tamen de his qui illos oppugnatum venerant, cecidere XXII. millia, iterum altero congressu XVIII. millia, & ipsi enim offenderant suis viribus magis quam dei auxilio freti, sed tertio tandem certamine de Benjamin perire XXV. millia, oppidum eorum Gabaa incensum, in quo obsessi erant, idemque factum reliquis urbibus ac vicis tribus huius. Ista de Iudicum libro summam perstringendo, primum, quae sequuntur, regum continet historia.

¶ **Maia decem tribuum.**

Cap. VII.

Tp̄e regū.

Obidolatriam, quae maxima in deum ingratitude est, diuisum fuit Iudaeae regnum. Decem tribus in Samariam secessere sub rege Hieroboam duae reliquae sub Rehobam Hierosolymis manserunt. In Samaria quidem perseuerauit impietatis crimen, Hierosolymitae magis fideles inuenti sunt. Vitulos aeneos adorabant Samaritae, quos pro diis colendos posuerat Hieroboam primus ex Iudaeis Samariae rex. Eam ob rem Abia Hierosolymarum regi in praelio succubuerunt, die

vno quinquaginta millia eorum desiderata sunt. Ciuitates tres amissæ, Bethel, Hiesana, & Ephion. Deinde regnum de familia Hieroboami ad alios translatum. Postea regnante Achab aduersum Syros profecti, ob hanc ipsam idololatriæ culpam superantur. Achab quoque sagittæ ictu interficitur. Regnante Ioacham, seruerunt Azabelo regi Syriæ. Regnante Phacee, Theglathalsar Assyriorum rex Samariam inuadens, magnam quidem populi partem captiuam secum duxit Ninuen. Regnante Osee, vna cum rege omnes translati sunt in Assyriam, per Salmanasar Assyriæ regem. Cum enim prophanos gentium ritus imitarentur, & prophetarum arguerentur sermonibus, ad deum Israel reuerti volebant, colentes Baal, filios filiasque idolis inuitantes, inseruientes etiam diuinationibus atque augurijs.

Mala duarum tribuum.

Cap. VIII.

Nunc ad Hierosolymitarum immunditias gradus faciendus restat. Sub Roboam rege legem domini reliquerant, cum Sefac rex Aegypti ciuitates eorum munitissimas debellauit, dixitque eius per prophetam dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sefac. Hic captam Hierosolymam subdidit seruituti. Templi thesauros, regiamque gazam omnem sustulit & asportauit. Sub Ioram rege, quia gentiliū ritus secuti fuerant, Palæstinorum atque Arabum magna in parte præda facti sunt. Tunc enim & regis domus direpta, & eius vxores libertique capti. Ipse autem Ioram, quia ab impietate non recesserat, alui profluuiō consumptus est. Ob idem crimen Ioa regnante in gentes militum copias parua Syrorum manu prostratas misere. Ipse Ioa a seruis domi fuit interemptus. Rursum sub Amasia rege deos alienos adorabant, cum a Ioa Samaritano rege superati sunt, pars hierosolymitani muri diruta, thesauri ablati, ipse Amasias captus, nobiliū liberti pro obsidibus abducti. Tunc etiam regnante Achaz colebant Baal, cum & a rege Syriæ spoliati sunt,

& a rege Samariæ Phacee ingenti bello victi. Ea enim pugna centum viginti millia virorum cæsa fuisse dicuntur, ducenta millia in captiuitatem abducta, cum præda omnis generis prope inæstimabili, quamuis Phacee ab angelo coargutus restituerit captiuos, quia tamē ab impietate non recedebant. Idumæi illorum fines depopulati sunt, vrbes aliquot expugnarunt Palæstini, agrum vastauerunt Assyrj, neq; tamen tot cladibus affecti, ad dominū redire voluerūt, donec in regno successit Ezechias Achazi filius, per omnia patri dissimilis. Pie enim ac sancte vixit. Et vt intelligas principum mores ciuibus documento esse solere, semper quidem Iudæi sub religiosis regibus religiosi fuere, sub impijs impij. Post Ezechiam regnat Manasses eius filius, magis impietate quam regno nobilis. Captus a Chaldæis, addicit seruituti. Aduersis pulsatus agnouit errorem, pœnitentiã egit, & domino miserante restitutus est regno. Quod si Manassæ pœnitentiã suscepit deus, quis tam impius est vt veniam desperet, si ad illum a quo alienatus est recurrerit? Ioachazo quoque impio super impios regnante, Nechao rex Aegypti eosdem tributa sibi pendere cõpulsit. Ea erant centum argenti talenta in singulos annos, vnum auri. Tunc Ioachazo sublato, Eliachim eius fratrem præfecit regno. Sed cum neque isto ad regni gubernacula sedente populus ab erroribus resipuisset, Nabuchodonosoro Babylontorum regi seruerunt, atque etiam latronum infestationes passi sunt. Et ne tunc quidem ab idololatriæ cultura desistentes, Ioachimo Ioachimi filio regnante, obsessi a Chaldæis, vna cum rege potestati illorum sese dedidere. Tunc omnes fere in Chaldæam traducti sunt, præter pauperes vulgi agricultura relicti. Hinc Marathias vrbi pene desertæ iussus est præsidere. Cumq; ipsi etiam qui tunc residui erāt nullo dei flagello ab inueterato iam errore reuocari potuissent, totam in illos indignationē effudit deus, eosq; grauius quam vnquam antea afflixit. Cum enim Marathias iste qui & Sedechias est dictus, a Chaldæis defecisset, obsedit eos Nabuchodonosor Chaldæorū rex, vrbe

Manasses.

Ioachaz.

Eliachim.

Ioachim.

Matathias

potitus est. Sedechiam cum liberis fugientem comprehendit, liberos illo spectante trucidari iussit: ei vero ne quid deinde iucundi videret, oculos eruit, & vinctum se cum Babyōem abduxit. Post hæc Nabuzardam ducem cum valida militum manu misit, qui moenia vr̄bis demolitus solo æquavit, domos templumq; incēdit, ciues in seruitutem ad Chaldæam transtulit, & cum illis vascula templi aurea, argentea, ænea. æneasq; columnas templi, primarios vr̄bis ciues, detq; sacerdotes interfecit, & impletum est quod in psalmo prædictum fuerat, Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & conclusit in gladio populum, & hæreditatem suam spreuit. Deniq; facta est, quam prophetæ prædixerant, transmigratio ludææ in Chaldæam, ac tanta profanæ gentis ingratitude tales quidem pœnas dedit, quæ si solæ proponerentur, & nulla futura esset in inferno, quis adeo temerarius est, ut audeat esse in deum ingratus?

Psalm. 77.

Mala ludæorum post Christi passionem propter incredulitatem.

Caput IX.

Postea vero per Cyrum manumissi, postliminioq; reuersi sub Esdra sacerdote instaurarunt vr̄bem & templum, domino fauente, postquam eos delicti pœnituisset. Fuisse deinceps legis diuinæ satis quidem studiosos, improbos tamen, semperq; virtuti alienæ iuidos atq; infensos. Christum dei filium, quem lex & prophetæ prædicauerant venturum saluatorem non receperunt, quamuis vidissent miracula facientem, & a plebe laudibus honoreque affectum: docenti veritatem non crediderunt, innocentem falsis criminationibus circumuenerunt, iustum condemnarunt, ludibrio habuerunt, & spinis coronatum, flagellisq; cæsum cruci confixerunt: tantumque inualuit semel insitum infidis mentibus odium, ut ne tunc quidem ad pœnitentiam tanti sacrilegij mollescere quiuerint, cum illo

In Christiã impij.

in cruce pendente, sol obscuraretur, terra tremere, sepulchra aperirentur, templi parietes dissilirent, saxa frangerentur. Nam depositum quoque ac sepultum custodi iusserunt; cumque ipsi custodes perendie reuersi cum a mortuis resurrexissent testarentur, pecunia data redemerunt mendacium, ut rursus hi falso assererent, se videlicet nocte praeterita dormientibus clam venisse discipulos, corpusque ideo furto sustulisse, ut qui sepultus fuerat, ad vitam credatur reuersus. Quid autem infelix Iudaea alios celare iuuat, cuius ipsa conscia es, veritatem? Si non surrexit, cur pecuniam porrigis? si surrexit, cur saluatorem tuum non agnoscis? aut si nihil custodibus donaueris, nihilque illi prius testati fuerint, quam quod postremo dixerunt, nonne sic interrogatos oportuit. Vidistis ne accessisse ad sepulchrum discipulos, an non. Si non vidistis multo sopore fortasse oppressi, quomodo scire potestis? Sin vidistis, cur non comprehendistis inermes armati, paucos multi, onere sublatis corporis grauatos expediti? Videtis o Iudaei custodiae vestrae manifestum mendacium, at tamen quae vestra pertinacia est, vultis potius mendacio credere & perire, quam sequi veritatem & saluari. Quid est autem quod Christum negando, multo maiorem experti estis dei iram, diuturnioremque passi calamitatem, quam cum vitulum adorastis, quam cum Baal, Astaroth, Acharon, Belphegor, Belzebub, aliorumque daemonum simulacris sacrificastis nam licet antea quoque caedes, incendia, rapinas, captiuitates, seruitutem, exilia, patriique soli miserabilem desolationem pertulissetis, quoties tamen vos deum vestrum offendisse poenituit, toties de malis omnibus liberati fuistis. Longissima illa apud Babylonem seruitus (ut scriptores vestri testantur) septuagesimum annum non excessit; Rursus natali solo restituti, rursus in omnibus reparati instauratique, regnastis. Quenam quaeso causa est, quod post Christum a vobis condemnatum, semel a Romanis victi, euersi, dispersi, nullam vnquam pristini status faciem, nullam amissae dignitatis umbram recepistis? iam mille quadringenti & octoginta anni sunt,

ex q̄ incerta sede vagi per omnes orbis partes errastis, sine lege, sine sacrificio, sine duce, sine rege, sine p̄pheta, dicite si potestis quo crimine, qua culpa id patimini? non idola (vt olim sæpe contigit) colitis, non execrandos gentilium ritus exercetis; vnum deum, vnum cæli terræq; dominum adoratis, & tamen nullus est miseræ vestræ finis. Cur ita? profecto cum alta causa omnino nulla queat afferrī, restat vt ea sola sit quia saluator ē vobis, immo omnibus missum non recipitis Messiam, quem vestræ vobis indicant scripturæ non admittitis. Videte ingratitudinem vestram in deam vestrum. Ille vobis quem promiserat vitæ doctorem misit, vos ip̄m occidistis. Ille dedit redemptorem, qui pro culpa primorum parentum vestrorum satisfaceret, & vos ei nō creditis, voseum repudiatis. Quamdiu igitur obstinatis mentibus fouetis errorem, negando eum, per quem solum data est mortalibus ad deum accessio, fieri omnino non potest, vt vllam sperandæ salutis gratiam consequamini. Credite, credite, & salui eritis. Hic est enim cui dixit propheta: Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos. Conuertimini igitur ad eum, qui missus est vobis, & ille qui misit miserebitur vestri. Hic enim qui missus est, dei verbum est, dei sapientia est, dei virtus est; negat talia esse in deo qui Christum negat. Carnem animamq; hominis assumpsit, vt pro hominibus pati ac mori posset. Itaq; non inuitus, sed volēs crucem sustinuit, vt suo sanguine a peccatis credentes laueret morteq; redimeret. Agnoscite beneficium, & confitemini Christum. Venit enim vos, non de manu regis Babylōis, sed de potestate diaboli liberare, non ad Hierosolymam reducere, nec regno restituere terreno, sed quod longe felicius est, ad paradysum transferre, in supernis cæli sedibus collocare, & sempiternæ suæ gloriæ participes facere. Quod si aduersus tantam dei vestri nostriq; benignitatem, Christum suum nō recipiendo ingrati esse pergetis, de temporalibus miseris istis ad æternas descendatis necesse est. Nulla enim maior in deū p̄rem ingratitudo fieri potest, q̄ in filiū ei coæqualē &

Psal. 79

coæternum & consubstantialem nolle credere. Felices illi, qui olim ne ingrati essent, ipsum vobis gentibusq; prædicare non timuerunt, qui vt nomen eius denegarent, nec minis, nec tormentis, nec cædibus compelli potuerunt. Veræ quippe beatitudinis in Christo spe firmati tyrannis fortiores erant, occidi poterāt, cogi ne Christum confiterentur non poterant. Felices nunc hi, q; vt qualem possunt pro beneficiis deo grām referant, Christo seruiunt, Christum adorant, de Christo dīe ac nocte cogitant, Christi præcepta totis viribus exequi contendunt, & contemptis terrenæ luxuriæ delicijs, post eum currere nunquam desistunt. Sed ne solos Iudæos accusasse videamur, nostrorum quoq; in Christum infidelitas (vt alia delicta prætermittantur) in medium veniat, non tam quæ modo sit, quam quæ olim fuerit, & veri assertionem victa deserit.

De ingratitude hæreticorum &
Iudæ proditoris. Cap. X.

CVm enim nullum mendacium diu stare possit, quia nihil firmi nihil solidi habet, in quo innitatur, omnis falsa religio paulatim euanescat necesse est. Itaq; iam pridem defecit ille diaboli fraude inductus deorum cultus. Vnus autem deus etiam ab illis inuocatur qui Christum ignorant. Defecerunt & hæreses, licet falsa veris mixta in se haberent, nihilominus quæ vera erant, manent: quæ falsa. vna cum suis autoribus interierunt. Arrius ab euangelio alienatus, impietate de trinitate sentiens, ventris profluuio extinctus est. Olympus Arrianus dum blasphemias in sanctâ trinitatem ore sacrilego proferret, fulmine ictus cõflatus est. Anastasius Augustus Euticetis erroribus implicatus, verbum dei in carnem mutatum, & in Christo incarnato vnâ tantum esse naturam asserbat: cumque ab hac impietate ne Hormisdæ quidem summi pontificis admonitione sollicitatus recederet, ipse etiam fulmine afflatus periit. Nonne hi omnes tam infelici si

Arrius
Olympus.

Anastasius
Augustus.

ne consumpti testantur, nemini tutum esse euangelicæ
 veritati vlla in parte derogare, & ab ecclesia Christi quic
 quam vel minimum dissentire velle? Sola quidem ad-
 huc Mahumetana hæresis extat, & viribus aucta, sæuit
 in Christianos, vt qui Christi sunt, calamitatum patien-
 tia probentur, donec & illa sua corruat impietate ac dis-
 soluatur. Quemadmodum autem Iudæorum olim fuit
 in deum ingratitude ad idola conuerti, ita nunc nostro
 rum par flagitium erit, de Christo parum pie sentire.

Mahume-
tus

Quod si tam ingrati sint, qui solo errore delinquit, quod
 de te dicam perfide Iuda? quibus verbis tuam accusam
 ingratitude, quæ maior est quam vt fando expri-
 mi queat? Non solum quæ vera rectaque erant, quæ salu-
 taria, quæ sancta, quæ perfecta, a magistro ac domino
 tuo didiceras, verumetiam in consortium ascitus fue-
 ras apostolorum, & tanquam cæteris fidelior apostoli-
 cæ familiæ œconomus factus & loculos habens, vt quæ
 omnibus offerebantur, solus dispensares: at tu (prohe-
 fas) tantorum beneficiorum prorsus immemor, & pe-
 cuniarum cupiditate superatus, vt triginta argenteos ac-
 ciperes, dominum in mortem tradidisti. Vicisti tuo par-
 ricidio Iudæorum ingratitude; bonum quod acce-
 perant illi, commune cum alijs erat, tu speciali privile-
 gio dotatus, tu in ordinem præcipuorum Christi comi-
 tum vocatus, tu singulari quodam honore prædi-
 tus, in tantam excidisti dementiam, vt eius proditor fie-
 res, cuius fueras discipulus, vt eum crucifigendum ini-
 micis offerres, cuius eras natura famulus, beneficio so-
 cius, dilectione frater, promissione cohæres, non ter-
 renti patrimonii, sed cælestis. Nunquid te cum cœna-
 ret, a mensa repulit, cum sacramentum corporis & san-
 guinis sui discumbentibus porrigeret, præterit? cum
 iisdem pedes lauaret, nunquid non se ad tuos inclina-
 uit? nunquid cum amplecti eum velles, resistit? cum
 osculum offerres, faciem auertit? Omnia quidem ille
 tanquam sibi charissimo indulfit, sed tu omnium oblitus,
 tanquam hosti insidiabaris, tanquam seruum vendebas
 tanquam parricidam in manus perdere volentium dabas.

Iudas.

Porro tam cruenti facinoris, postquam ille crucifixus est, iam & ipse conscius, peccasse te fatebaris, argenteosque acceperas, p[ro]iciebas. P[ro]nitebat te q[ui]dem c[om]missi sacrilegii, sed veniæ spe destitutus, doloreq[ue], sup[er]atus laqueo collum tuum confregisti, & pendens disruptis visceribus, effluentibusq[ue] intestinis infelicem animam emisisti. O dirum & crudele mortis genus, nequitia tamen tuæ conueniens, tuaq[ue] impietate dignum, non magis quia iustum vendideris, quam q[uo]d de misericordis misericordia desperaueris. Vtrumq[ue] sane inter crimina grauissimum ac nescio quod maius, nisi quod alterum remitti poterat, si alterum remissionis impetrandæ aditum non p[ro]clusisset. Eo igitur tua te perduxit in dominum ingratitude, vt pro grauissimis criminibus grauissimas quoque p[ro]enas dare credaris in inferno, quo curruisti. Nunc tu his quidem supplicijs terres nos, nequid sinisterum de saluatore nostro sentiendo ingrati sumus, & tuis flagitijs ostendis contrarias illis actiones ad gratitudinem pertinere. Gratus itaq[ue] erga dominum ac redemptorem suum erit, qui non pecuniam ip[s]o, sed ipsum pecunia chariorem habuerit, nihil cum ip[s]o simulauerit, nihil in ipsum impie neque cogitauerit, neque fecerit, & nunq[ue] de clementia dei diffusus, omnem salutis suæ spem in ip[s]o fixamque semper esse curauerit, & tandem mori potius quam deo peccare optauerit. Atque hæc hactenus, nunc autem ad reliquas charitatis partes descendere statuens, arbitror non minimam, sed præcipuam potius esse cum bene viuendi præcepta didiceris, operam dare vt alios doceas. Igitur prius de illius q[ui] docere vult officio differemus, deinde videbimus quantum iuuat, si adsit qui doceat, & quantum noceat, si absit.

De officio catholici prædicatoris.

Cap. XI.

2. Para. 17.

Docere in ecclesia episcopi officium est, & illos sacerdotum, qui præsidis autoritate probati sunt. Iosaphat Hierosolymarum rex leuitas misisse dicitur & sacerdotes, vt peragrando vrbes iudææ

instruerent populum præceptis legis. Christus vt gen-
 tibus euangelium prædicarent, apostolos, quos ipse in-
 stituerat, destinauit. Eunt, inquit, in mundum uni-
 uersum prædicate euangelium omni creaturæ. Verun-
 tamen qui apostolico isto fungi voluerit munere, eru-
 ditione ac virtutibus præstare debet. Alioquin si indo-
 ctus fuerit, facile in errorem labetur, & quorum cõsci-
 entiam curare volet, magis consauciabit. Discat igitur pri-
 us, & postea doceat, & quod verbis docuerit operibus
 comprobet. Sic egisse dicitur Esdras sacerdos, cum ad
 reparandam Hierosolymam ab Artaxerxe dimissus re-
 diisset. Ita enim scriptum de illo legimus: Esdras autem
 parauit cor suum, vt inuestigaret legem domini, & fa-
 ceret, & doceret. Et apostoli ante spiritus sancto replen-
 tur, deinde prædicationis officio fungi iussi sunt. Por-
 ro quod alijs præcipiendo ædificabant, ne aliter agen-
 do destruerent, id etiam ipsi præstare studuerunt, non
 minus exemplo docentes quam sermone. Nã impudens
 admodum præsumptio est, hoc alios monere, quod ipse
 non facias, imponere alijs onera grauiora, quibus ipse dor-
 sum non supposueris. Aut quomodo potest aliquis ali-
 os reprehendere his de rebus, quas facere se non ignorat
 Turpissimum est profecto, cum in corripientem culpa
 retorquetur, cum quis in quo alterum accusat, seipsum
 damnat. Sic igitur uiue, vt præcipis, & ad verba mores
 confer, & sanus curationem ægris adhibe, ne cum ru-
 bore audias, Medice cura te ipsum. Vobis qui in ecclesia
 dei ad populum declamatis, per Isaiam est dictum. Ex
 altate vocem, leuate manum, vt videlicet voci manus
 consonet, & præceptis respondeant opera. Quia qui se-
 cerit & docuerit sic, hic magnus vocabitur in regno cæ-
 lorum. Is demum aliorum delicta efficaciter arguit, in
 quo non inuenitur, quod alii redarguant. Sit ergo mi-
 tis atque submissus, qui humilitatem docet, recedat ab
 iracundia, qui patientiam suadet. Castitatem illæsam
 seruet, qui supra adulteriamque detestatur. Nihil impro-
 be agat, qui docet iustitiam, & inuehitur in vitia. Deni-
 que cum Samaritana relinquat hydriam mundanæ va-

1. Esd. 7

Isa. 15.

Mat. 10.

Ioha. 2

mat 10

Deut. 25

1. Tim. 6

mat. 23

nitatis, qui paratus est populo euangelizare Iesum. Caueat quoque ne lucri gratia prædicet, siue gloriæ ab hominibus captandæ. Non terrenum lucrum spiritualibus querendum est disciplinis, sed cæleste. Gratis accepistis, inquit dominus, gratis date. Eos autem qui in templo vendunt colubas, hoc est, dona spiritus sancti, eicit flagello, ut fidelium consortio indignos. Et non est domus dei, inquit, domus negotiationis, sed orationis. Quid ergo nihil ne accipere oportet? imo oportet, sed quantum necessitas postulauerit. Dignus est (inquit) operarius cibo suo, & in lege dicitur. Non alligabis os boui trituranti, ut videlicet & ipse de tritura sua pascatur & uiuat, sequi sustentet. Ne quid autem ultra quam quod factis est quæras, ipse doctorum ecclesiæ princeps Paulus ait. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Vitanda est etiam humanæ laudis captatio, ne pro labore doctrinæ, laudem quæ a deo est amittamus, ad hæc, ne illi quidem recte, qui ecclesiastici doctoris officium professi, dimisso euangelio, quæstionibus nihil ad rem pertinentibus occupari solent, qui syllogismos enthymemataque proponendo philosophantur, vel poetarum fragmenta decantant, vel explicandis gentilium historiis immorantur, vel de cælestium motu siderumque naturis disputant, non querentes quod saluti conferat animarum, sed quod auditorum aures demulceat atque delectet. Hi certe a domino audient. Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, plausum enim vulgi querunt, & docti dici quam sancti malunt, nec vident quod callidis diaboli suggestionibus supra pinnaculum templi statuuntur, ut quo alius ascenderit, grauius elidantur cum ceciderint, quid tu ingenium iactas, aut rerum multarum cognitionem ostentas, qui non ex his quidem, sed ex operibus iudicaris? Magis deo placet sancti rusticitas, quam peccatoris hominum ore laudata scientia. Non ergo attendat doctor, quid auditores delectet audire, sed quid se deceat loqui, nec se putet in theatro esse, ut cum tabulam peregerit, astantium plausu excipiat, sed in ecclesia dei, ut postquam piis ad-

De charitate Liber VI. 417

monitionibus eos qui libenter audiunt iuuerit, a domino capiet mercedem gloriae sempiternae. Impigrum quae ac sollicitum esse decet salutiferae institutionis doctorem. Circuibat Iesus (ut euangelistae tradunt) totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, & praedicans euangelium regni. Et alibi dicitur, Erat quotidie docens in templo. Intuere praeterea indefessam apostoli eius in praedicando curam. Scribens ad Romanos, affirmat quod ab Hierosolymis per circuitum usque ad Illyricum omnia repleuerit praedicationibus euangelii Christi, & neque persecutionibus deterretur, nec vincula. Vide etiam quam anxie opus hoc Timotheo discipulo iniungat. cum ait: Praedica verbum, in saepe oportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, ut videlicet impleatur, quod in Isaia de Apostolis & ecclesiae doctoribus praedictum fuerat: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte perpetuo non tacebunt. Sed etiam ipsi prophetae fuit olim a domino iussum dicente: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Tanto enim diligentius instandus est doctrinae salutari, quanto peccatis maior imminet periculum salutis. Nec se aut iterum admonendi tibi erunt, sed toties, donec cum psalmista dicere possis, Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae. Magno autem animo verbum domini praedicandum est neque ob praesentiam potentiorum subteriri debet veritas, dum vitia reprehenduntur. Gloriatur David coram domino dicens, Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebam. Et in Isaia euangelico doctore praecipitur, Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas SION, noli timere IONA S propheta praedicare iussus, dum homines timebat, deo volebat obedire, & cum nauis fugeret, orta tempestate in mare praecipitatur, atque a pisce viuus deglutitur. Satius illi tunc fuerat, incidere in

Mat. 4.

Lucæ. 15.

Rom. 15.

2. Tim. 4.

Isa. 6.

Isaia. 58.

Psal. 68.

Psal. 118.

Isaia. 40.

IOH. 2.

Ierem. 1.

Iohannes
Baptista.
Matt. 14.

Actu. 18.

Mar. 16.
Lucæ. 8.

Lucæ. 10.

Matt. 4.

Matt. 10.

manus hominum, quam non obedisse deo viuenti. Ieremias vero ipsius domini verbis animatur ad prædicandum, dicentis: Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi, ne timeas a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Non timuit Iohannes arguere Herodem regem, vt ostenderet non esse timendos qui occidunt corpus: sed vnum illum, qui corpus & animã simul potest mittere in gehennam. Apostoli ac martyres domini, ne Christum prædicarent, nec minis principum detereri, nec tormētis inhiberi potuerunt. Qui enim confidit in domino, sicut mons Sio, non commouebitur in æternū Paulus cum esset Corinthi, per visionem nocturnã audiuit Chrm sibi dicentem: noli timere, sed loquere, & ne ta ceas, propter qd & ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te. Protegit igitur vbi sui prædicatores deus, donec docendi munus impleant, & cum impleuerint, occidi permittit vt coronet.

Quid potissime prædicandum sit.

Caput. XII.

PRædicandum aut est euangelium, danda pie viuē di præcepta, differendū de beatorū gloria, quatenus fieri potest, pœnaq; damnatorū, vt peccatores ad pœnitentiam excitentur, iusti ad perseuerantiã. Ad Apostolos ait saluator, Prædicate euangeliū omni creaturæ. Et de ipsomet in Luca legimus, quod iter faciebat per ciuitates & castella prædicans & euangelizans regnū dei. Hoc idem regnum discipulos iussit nuntiare, cū ait, Dicite illis quia appropinquabit in vos regnum dei. Idem in plurimis quidem euangelij locis & tenebras commemorat, & gehennã, & tormentorū locum, & vermem immortalem, & ignem æternū. Pœnitentiam etiã prædicauit, dicens: Agite pœnitentiã, & appropinquabit regnum cælorū. De discipulis quoque dicitur, Exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent. Ad eos autē qui non indigent pœnitentia, est dictum, Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Præuaricator, non prædicator est, qui ab his discedens aliqua superflua &

nihil profutura docet, multa se nosse ostentās. Quid autem prodest multa scire, & deum nescire? Doctor gentium Paulus, missum se dixit euangelizare non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Non iudicauit (inquit) me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christū & hunc crucifixum. Vtque doceret aliam esse sapientiam carnis, aliam spiritus, ait: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius seculi, neque principum huius seculi, quæ destruuntur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Idcirco sane & Timotheo discipulo ad prædicandum destinato, Formam habet (inquit) sanorum verborum, quæ a me audisti, in fide & dilectione, in Christo Iesu. Et ad Titum, Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Non enim sana, sed languens & infirma est doctrina, quæ pie sanctæque viuendi studio nihil omnino confert. Mortifera vero & detestabilis, quæ peruertere nititur veritatem humanæ philosophiæ argutijs. Audi præterea quod tibi sapientiæ antistes Salomon præcipiat, dicens, Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Obseruare quoque debet vitæ spiritualis institutor & doctor, qui de thesauro cordis sui profert noua & vetera, vt quicquid ex libris diuinis recitauerit, non secundum literam occidentem illud inter prætetur, sed secundum spiritum viuificantem. Sciat aperire sensus verborum ambage velatos, & in medium proferre, & ad auditorum emolumenta conuertere, vt sunt visa distaque prophetarum, & ceremoniarum ritus ac sacrificiorum, quæ si spiritualiter & per tropologiam non intelligantur, similia deliramentis anilibus erunt. Ideo autem in Leuitico animalia quæ ruminant & vngulam diuidunt, munda sunt, quia vtique is ruminare videtur, qui in lege domini meditatur die ac nocte, & tunc vngulam diuidit, cum mysticum sensum a literalis intelligentia separat. Horum igitur scientiam ille qui populum docet, habeat, vt mundum cibum esurientibus offerre queat, & mentes ad audiendum intentas alere verbo salutis. Cæterum meminerit eos lacte

1. Cor. 2.

2. Tim. 1.

ad Titum. 2.

Prou. 24.

Leuit. 11.

Mat. 5.

Mat. 8.

Gala. 3.

alendos esse, id est, moralibus duntaxat præceptis instruendos, qui proficere incipiunt, solidum autem cibum perfectorem esse & ad altiora nitentium. His mysteriorum ardua explananda erunt, ut ad concupiscenda caelestia magis inardescant, dum diuini eloquii arcana mirantur. Sic dominus noster montem ascendens docuit discipulos, tanquam sublimioris disciplinae iam capaces. Descendisse autem de monte dicitur, quando cum turba fuerit loquendum. Hoc illud est quod in psalmo legimus: Ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem fundasti eis. Montes erant, quibus dictum est: Vobis datum est, nosse mysterium regni dei. Campi vero descendentes, ad quos dixit Apostolus, Facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo. Sicut igitur cuique conuenerit, ita doceatur ut omnes salui fiant, semper tamen cauendum est, ne rudis interpres declamet in ecclesia. Male enim exponens dicta scripturarum, periculum est, ne & ipse in errorem incidat, & alios inducat, quod si (ut dicitur) caecus caeco dux fuerit, ambo in foueam cadent. Hoc Apostolus Galatis, quos ipse docuerat, metuens, ait, Licet nos aut angelus de caelo euangelizet vobis, praeterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Indocto itaque silere multo satius est, & sua simplicitate contentum esse, quam docti officium usurpare, & docere velle quod non didicit, aut loqui quod nescit, cum periculo suae aliorumque salutis. Plerique tamen postquam eorum qui commendantur sermones lectitando edidicerint, confidenter praedicant. Tolerandos puto, dummodo aliquid ultra non praesumant. Sed verendum est, ne post haec auditorum palpatione diliniti, se esse magistros arbitrentur, cum non fuerint discipuli, & aliquid vel addant arroganter, vel mutent incosulte, vel subtrahant licenter. Multi me laudant, inquiet aliquis. Noli multitudini credere, certius paucorum iudicium est, quod in se habent, quod in alto laudat. Illud nempe pictoris optimum est opus, quod pictores commendant, non quod variis fuerat coloribus contrariis mirantur. Tunc ergo vulgi de tua eruditione opinionibus, fidem adhibe, cum inde senserint & pictam

Qui prætermittendi, & qui docendi, & quæliter corripiendi. Ca. XIII.

A illis vero, quorum nulla speratur correctio. qui cum Pharaone obduruerunt, auertenda est diuini prædicatio est. Apostoli Iudæorum obstinatione offensi, dixerunt: Vobis oportebat primū loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominus. Ac ne aliter illum præcepisse credas quam egisse, nullum omnino Pilato dedit responsum, cum ab eo quid esset veritas interrogaretur: quia veritatis inimic⁹, de veritate sermonem audire indignus erat. Ideo Paulus & Barnabas (vt in actis apostolorum legitur) prohibiti sunt a spiritu sancto loqui verbum in Asia. Non sunt igitur mittendæ euangelij margaritæ ante porcos, ne conculcent eas pedibus. Iniuriam sibi ipsi facit, inquit Salomon, qui erudit derisorem, & qui impium arguit, sibi maculam generat, & iterum ait. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Et fortasse non leuiter peccat, qui diuina mysteria ibi loquitur, vbi non est auditus, dicente propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Illos vero qui libenter audiunt, & vitæ præceptis erudiri affectant, nolle docere cum didiceris impium est. Cur talentum tibi a domino ad negociandum creditum abscondis in terra serue nequæ? Cur otio deditus nihil facis lucris quam rationem reddes, cum ad illum vacuus redieris? Pastorem te dominus gregi suo præfecit, vides lupum venientem, & fugis: vides diaboli fraudibus ac dolo multorum corda subuerti, & negligis: ciuium tuorum suffodi spirituales domos intueris & races, canis mutus non valens, imo nolens latrare. Speculatorem dedi te domui Israel inquit dñs, audies ergo ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impiū: Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Abs te ergo regretur

Actu. 13.

Actu. 16.

Proue. 9.

Pro. 23.

Psal. 118.

Ezec. 33.

- perditæ ouis ratio, & negligis? Plebs tibi commissa, famem non panis, sed audiendi verbum dei patitur, & tu suppressis vitæ pabulum? nec attendis quod scriptum est: Qui absconderit frumenta, maledicetur in populis benedictio autem super caput vendentium? Dolet Isaias quod regem impium Oziam non corripuerit. Et vae mihi (inquit) quia tacui. Apostolus quoque; Vae mihi est, si non euangelizauero. At tu otiosus oscitas, & nec maledictione territus, nec benedictione illectus ad docendum inclinaris. Expergiscere tandem, aperi os tuum populo, lucrare domino, docendo, increpando, exhortando. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli, hoc officium Episcopi est, quem te esse profiteris. Tibi dictum puta, quod per Isaiam dicitur; Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum: vel quod ad Ezechielem: Notas fac Hierusalem abominaciones suas. Durius acerbius tibi increpandi sunt, iam ad penitentiam inclinati, mollius. Corinthios interrogat Apostolus. Quid vultis (inquit) in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Ita autem moderanda correctio est, ut & mordeat peccatorem, & spe veniæ confortetur, ne ille abundantiori tristitia absorbeat. Fragilitatis tuæ memor, aliorum infirmitatibus medere, & ad mentem reuoca præceptum Apostoli dicentis; Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum ne & tu tenteris. Hoc est quod optat sibi psalmista, dicens; Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Optimum in præfide temperamentum est, miseratio cum iustitia. Miseratio enim sine iustitia, peccandi præstat audaciam. Iustitia sine misericordione, instar crudelitatis est, altera alterius ope indiget, ut correctio ipsa & corripientem commendet & emendet peccantem.

Ut prædicator ab adulatione procul sit, & prædicandi tempora obseruet. Caput xiiiij

Absentatione autem procul abesse peccatorum castigatorem decet, ut nihil ad gratiam audientium dicat, sed ad profectum optimiq; medici more utatur, adhibens vulneribus, curationem, non quæ delectet male affectum sed quæ sanet. Verat lex hæc dicitur
 Exod. 34.
 coquere in lacte matris suæ, hoc est, peccatorem blanditijs fouere. Non debes querere tu qui prædicatoris officio fungeris ut hominibus placeas, sed ut homines ad deum dirigas. Audi Apostolum dicentem: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, In eo placeas hominibus in quo places deo. Alioquin non dei, sed hominum seruus. Multo melius est veris offendere quam placere adulando: & malum incusare, ut corrigatur, quam dissimulare ut inualecat. Tempus etiam prædicationi congruum quærat: non semper seculi hominibus prædicationes vacat audire. Oportet igitur ut fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, det illi in tempore tritici mensuram. Vbi obseruandum est, quod non solum tempore apto opus sit, ut data profint, sed etiam mensura ut neque plus neque minus dicatur, quam necesse fuerit. Accommodatissima autem huic negotio tempora erunt, ieiuniorum dies, qui ante festum dominicæ natiuitatis, dominicæq; resurrectionis solennes habentur. Tunc tempus acceptabile, tunc dies salutis, tunc messis tempora sunt, in quibus plus frugis colligi solet, Et qui congregat in messe (ut in Prouerbis dicitur) filius sapiens est. Si quando alias contigerit, ut vel ad supplicandum vel ad pœnitendum plebem exhortari opus erit vel ad sedandas ciuium inter se seditones odiaq; tollenda, tunc quoq; prædicationibus erit insistendum, ut in radice reprimatur malum ne pullulet, & in mortem multorum fructicetur.

De prædicantium meritis. Ca. XV.

Quisquis in his quæ dicta sunt, diuinæ laudis gratia salutisq; proximorum sese pro viribus exercuerit, multa quidem in terra, sed plurima in celo beneficia consequetur. Spiritu sacro illumina-

bitur, scientiæ capiet incrementū, vim in suadendo dis-
suadendoq; acqret. Siquidem ipse vnus in trinitate deus,
hoc visibiliter apparere fecit in apostolis, qd postea in
eorū successores operaturus erat inuisibiliter. Visæ sunt
supra illos, q ad euāgelizandū mittendi erāt, igneæ lin-
guæ; & ipsi repleti spūsctō cœperūt loq (vt Lucas inq) *varijs linguis*, put spūs sanctus dabat eloq illis. Tu q; *o sacerdos*, qui & añ vt disceres q dei sunt, omnē curam
operāq; adhibuisti, & postea vt doceres, syncero corde
feruētq; in deū ac proximos charitate pulpitu in scen-
disti, si sapiēter, si egregie, si efficaciter vba feceris, ni-
hil tibi arroges, nihil tuo vei ingenio vel studio plau-
das, totū hoc spūs sancti grā est, totū donū dei est. Non
vos estis (inquit) qui loquitur mihi, sed spūs patris vestri q
loquit in vobis. Hoc si habes, tam certissima futuræ bri-
tudinis spe oppignoratus es, iā beatus dici meruisti, iu-
xta illud Psalmistæ: *Beatus hō quē tu erudieris domine,*
& de lege tua docueris eum. Sic se eruditum confiteba-
tur Paulus, licet multa a Gamalele didicisset, cum dice-
ret: *An experimentum eius quæritis qui in me loquitur*
Christus? Excusabat immaturam ætatem Ieremias ad
populū loq iussus, imparēq; se huic rei asseuerabat, quā-
do tetigit os eius dominus, dicens: *Ecce ego dedi verba*
mea in ore tuo, ecce ego constitui te hodie sup gentes &
super regna vt euellas & destruas & disperdas & dissi-
pes, & ædifices & plantes. Tu quoque si tuis sermoni-
bus auelli videris vitia, & virtutes plantari in cordibus
eorum quos doces, cōtactū a spūs sancte os tuū esse scias,
& de labijs tuis non tua, sed dei vba processisse. Deus est
qui aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit di-
sertas: deus est cuius vox in v̄tute & in magnificentia,
super bog; cedros cōfringens, & humilibus p̄stans gra-
tiā. Vox ista euangelicæ p̄dicationis est, arrogantes de-
stituit, & in deo tm̄ confidentibus se cōmodat, ita vt in-
terdū qui minus eruditus est, plus efficacitæ in dicendo
habeat, magisq; satisfaciat prudētī auditori. Sic enim p̄
pphetā dī Dñs dabit v̄bū euāgelizātibus v̄tute multa.
Igitur quemadmodum v̄tus ista, vt in euāgelio ē dictū,

Matt. 10.

Psalm. 93.

2. Cor. 13

Ierem. 1.

Psalm. 67.

de saluatore nostro exhibat, & ægros per tactum vestimentorum eius curabat, ita peccator fidelis ac sancti doctoris voce in intima cordis cōtactus ad pœnitentiã operaque virtutis conuerteretur, & animæ suæ languorẽ conualuisse sentiet, occulta spiritus sancti medicatione.

Prædicator quippe medicus animarum est, & cum in homine nihil pretiosius habeatur anima ipsa, præstantissimum diuinæ liberalitatis donum est, animæ languoribus succurrere scire, & vineæ manu dei confixæ operarium, atque in multam messem mitti a domino messis, vt frugem colligas in horreis cælestibus reponendã. Magnificum est mensæ diuinæ esse conuiuã, sed magnificentius ab ipso mensæ domino dignum iudicari, vt sis eõutuarum inuitator, & ad sponsi nuptias conuocator multorum atque collector. Cui hoc fuerit concessum, dici de illo poterit, quod de Iohãne Baptista fuit dictum: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præ-

Lucæ. 1.

bis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Propheta enim altissimã sacrarum interpres scripturarum est, qui tunc quidem ad cor audientium parat viam domino, cum illi verbis eius edocti, a peccatis per pœnitentiam purgantur, & virtuti studere incipiunt. Eidem conuenient laudes illæ quæ Apostolis a domino datæ sunt, dicente: Vos estis sal terræ. Vere enim sal terræ est, cuius præceptis humana mēs conditur ne corrumpatur contagine vitiorum & contabescat. Vos estis lux mundi. Lux mundi est, cuius verbis & exemplo fugantur tenebræ ignorantie alienæ. Ciuitas est etiam prædicator supra montem posita, omnium obiecta oculis, vt omnes ad illam concurrant, vel discendo quæ dicuntur, vel ea quæ ab eo qui docet fiunt imitanda. Idem lucerna est super candelabrum, non aliter quam ciuitas supra montem. Lucet enim omnibus qui in domo sunt, & fideles animas doctrinæ suæ fulgore illustrat, vel qualiter illustrari debeant, morum sanctitate demonstrat. Gaudete igitur omnes euangelicæ disciplinæ doctores, de vobis ista memorantur, non de philosophis, non de oratoribus,

Matt. 5.

non de poetis. Nulla in illis veræ lucis lux fuit, q̄ Christi-
 stum ignorarunt. Vobis data est potestas, quam illi nō
 habuerunt, curandi infirmos, eijciendi dæmonia, mortu-
 os suscitandi. Infirmos enim curatis, quoties eos qui er-
 rāt, i viā veritatis dirigitis, dæmonia expellitis, cū eos
 qui per peccatum diaboli domicilium erant, ad pœniten-
 tiam vestris exhortationibus conuersos Christo resti-
 tuitis, mortuos ad vitam reuocatis, cum de scelerum se-
 pulchro iam scerentes, diuinæ misericordiæ magnitudi-
 nem proponendo, ad veniæ spem erigitis, & vt in deo
 viuere incipiant autores estis. At vero illi scientiæ gen-
 tilis professores, quomodo infirmos curarent, cum ipsi
 infirmi essent, diuersa inter se sentientes? quomodo dæ-
 mones eijcerent, ipsi dæmonum cultores, quos pro dñs
 habuerunt? Quomodo mortuos reuiuiscere facerēt, cū
 Christum, qui vita est, nescierint? Nonne vos illis docti-
 ores estis, quos non homo, sed deus erudiuit, quos dei
 filius, qui summa veritas est instruxit? De vestra certe
 non de illorum doctrina est dictum: Aurum & multitu-
 do gemmarū & vas pretiosum labia scientiæ. Nihil em̄
 ea scientia carius, nihil pulchrius, quæ de ore fidelis do-
 ctoris emissa viam ad immortalitatē mortalibus osten-
 dit, & quorum operum passibus ad beatitudinem perue-
 nitur, verissime docet. Vos ergo venter estis de q̄ flumi-
 na fluunt aquæ viuæ. Vos thesaurus de quo proferuntur
 noua & vetera. Vos aurum quo templum veri Salomo-
 nis linitur. Vos templum dei viuī, qui in vobis manens
 emittit eloquium suum terræ, & per os vestrum veloci-
 ter currit sermo eius. De hoc sermone est scriptum: Fa-
 uis mellis verba composita, dulcedo animæ, sanitas of-
 ficiū. Omnis quippe sermo cælestis, animæ fideli & iu-
 cundus est & gratus, quandoquidem & delectat multū,
 & virtuti studio plurimum confert. Quoties autem al-
 tiora reperitis, & mentis indagine illa quæ in mysterio
 condita sunt, elicitis & in lucem profertis, vobis conue-
 nit quod in prouerbis dicitur, Aqua profunda verba
 ex ore viri, & torrens inundans fons scientiæ. Quoties
 vero audacter & intrepide in vita inuehitur, colum

Prou. 20.

Prou. 16.

Prou. 18.

næ estis firmæ fulcientes veritatem. Ob hoc Paulus apo-
 stolus Petrum, Iacobum & Iohannem vocavit colūnas,
 quarum stabilimentum a domino est, qui in psalmo de
 ecclesia loquens ait: Ego confirmaui columnas eius. Ad
 hæc etiam montes estis, quos nulla ventorum vis con-
 cutit, nullus procellarum turbo commouet, de quibus
 in psalmo dicitur: Montes in circuitu eius: hoc est, ec-
 clesie: & dominus in circuitu populi sui. Quid ultra
 dicam? Vos plenæ illæ nubes estis, de quibus Ecclesiastes
 ait: Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terrā effun-
 dent. Sapientia enim repleti diuina, non cessatis præce-
 tis pluere doctrinarum. Vos estis cælum late resonans
 tonitru fidelium eloquiorum, de quo in psalmo prædi-
 ctum fuit: Intonuit de cælo dominus. Et in alio psalmo,
 Annunciabunt cæli iustitiā eius. Et rursus in alio, Cæ-
 li enarrant gloriam dei. Vos denique non solum mon-
 tes vel nubes vel cæli, sed quæ omnium nobilissima cre-
 atura est, angeli dei estis, non naturæ cōmercio sed of-
 ficij dignitate. Nuncius dei angelus est, nunciū dei san-
 cti prædicatores sunt. Vnde sicut de Iohanne Baptista
 in Malachia dixit deus, Ecce ego mitto angelum meum
 qui præparabit viam ante faciem meam, ita & vobis di-
 citur, Parate viam domino. In Apoc'ypsi etiam ecclesi-
 arum præfecti, quos nos episcopos dicimus, angeli ap-
 pellantur. Ille autem verius angelus est, qui sua doctri-
 na ædificat ecclesiam, quam qui ecclesie tantum præses
 est & docendi laborem otio superatus fugit. Plaudant
 igitur sibi, qui aurum argentumque lucrantur, qui ma-
 gnum pecuniarum quæsum faciunt, quæ vrbes expugnāt
 & regna suo subdunt imperio. Vos animas domino lu-
 cramini quibus nihil est pretiosius, nihil in natura hu-
 mana excellentius, vos ergo melius, qui muros Hierusa-
 lem ædificatis, qui ad cælestem patriam exules reuoca-
 tis, vt cum illis, imo & super illos regnetis. Vos enim
 constituet dominus super familiam suam, & super om-
 nia bona sua. Tunc perpetui reges æterniq; dñi eritis
 omnium illorū, quos vestris prædicationibus, vestraq;
 doctrina conuersos, de terra ad cælū transmigrare con-

Galat. 2

Psal. 124.

Eccl. 11.

Psal. 17

Psal. 21.

Psal. 18.

Malach. 3

Apoc. 2.

ligerit. Et tunc demum Christus vester rex regū & dō-
minus dominantium erit, cum vos alijs præsse iusserit,
tribunos vel chiliarchas animarum, quas ei lucrati estis
constituens.

¶ De prædicantium beatitudine.
Caput XVI.

Svmite igitur calciamenta in pedibus ad præpara-
tionem euangeli, vt cum cælestia prædicaueritis,
terrena non contingatis, & de vobis dici q̄at, Quā
pulchri pedes annuntiantium & prædicantium pacem,
& annuntiantium bonum. Excitet vos dei amor, proxi-
morum charitas, promissaque vobis beatitudinis merces.
Qui enim fecerit, & docuerit sic, magnus vocabitur in
regno cælorum. Et qui merit, mercedem accipit, & con-
gregat fructum in vitam æternam. Et qui talentis domi-
ni totidem alia lucratus fuerat, dixit dominus, Euge ser-
ue bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis, sup mul-
ta te constituam, intra in gaudium domini tui. Talenta
quæ ad negociandum dantur, scientia spiritalis est, talē
ta yō q̄ superlucratur, opera sunt tum nra secundū sci-
entiæ donum facta, tum eorum q̄s docendo & exhortan-
do vt eadē facerent alleximus. In Isaiā etiā beatos vo-
cat dñs doctrinæ sanctæ dispensatores, Beati (inquit) q̄
seminatis super omnes aquas, immittētes pedem bouis
& asini, hoc est, Iudæi & gentilis, quod q̄dem ad euāge-
lii tempora pertinet. Antehac enim lex vetebat arare in
boue & asino simul. Dñs quoque Apostolis p̄ceperat. in
viā gentiū ne abieritis. Nūc autē seminatur super omnes
aquas, & pes bouis & asini simul immittitur, postq̄ ipse
dñs asinā solui iussit, & asino insidēs ingressus est ciuita-
tē. mādauitq̄ euangeliū omnibus vbiq̄ gentib⁹ p̄dicari.
Beati igitur erūt, q̄ ybi dei semen, vbiq̄ fructus aliq̄s
speratur, studuerint seminare. Qui enim cōuerterit pec-
catorē (vt Iacobus Apost. ait) saluabit animā ei⁹ a mor-
te, & operit multitudinē peccatorū. Quāti autē meriti sit, pec-
catorē ad pœnitentiā inducere, & a vitio ad virtutem
reuocare, ostendit dñs ad Ieremiā. d. Si conuerteris cōuer-
tam te, & añ faciē meā stabis. Quæ sane bñtudo par vide

Isaiæ. 52.

Iohan. 4.

Matt. 16.

Isaiæ. 32.

Deut. 22.

Iacobi. 5.

De charitate Liber. VI. 429

tur angelicæ felicitati, q̄ & stare dicuntur in conspectu dei patris, & faciem eius perpetuo cernere. Atque hæc sunt bona illa ineffabilia, q̄ scientia & probitate præditis debentur præceptoribus, dicente Salomone: Eruditus in verbo reperiet bona. Dicente etiam angelo ad Daniele: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, q̄si stellæ in perpetuas æternitates. In quo videt̄ maioris præstantiæ fore illor̄ beatitudinem q̄ aliorum sanctor̄. Quandoquidem his rebus cõparant, quæ inter ista nostro aspectui patentia, omnium pulcherrima apparent, & terram omnem suo illustrant lumine. Ad hæc, si eos in terra præ cæteris reuereri iubemur, quomodo non etiã in cælo altiorẽ honoris gradũ adipiscentur? ait enim Apostolus: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.

Prou. 6.
Danic. 12.

1. Tim. 3.

Quantum prodest habere prædicatorem. Caput XVII.

Saris multa de officio apostolici prædicatoris hæcenus dicta sunt. Restat nunc videndum, quantum populo proffit habere sanctum atque eruditum pie iusteq; viuendi præceptorem, & e contrario quantum noceat si defuerit. Præsente illo erigimur, stam̄. proficimus: absente illo labi atq; cadere solemus. Ioas rex Iuda donec Ioiadæ sacerdotis cõsuetudine consilijsq; vsus est, pieq; beq; vixit: illo morte sublato, ad vitia declinauit. Cæteros reges oēs, qui fidei morumq; sanctitate, pbantur, educatos institutosq; vel a sacerdotibus, vel a prophetis fuisse cõstat. Samuel docuit Dauidẽ, Nathã Salomonẽ, Micheas Iosaphatũ, Osee Ioathanũ, Isaias Ezechia, Jeremiã, Iosia, Edras populũ, ita vt illo monente repudiarent vxores, filiosq; abdicarent, q̄a contra dei legẽ alienigenas acceperat, prolemq; cũ his multã susceperant. Difficile fuit vxores dimittere, difficultus ex se genitos a se separare. Vtrumque tamen factum sacerdotis adhorrationibus historia sacra testatur. Tantum ergo prodest idoneũ habere doctorem, qui vitia increpet, & ad virtutem

.2. Reg. 12
Ioas.

1. Esdr. 10

Prou. 13.

Psal. 50.

accendat, vt ipso audito, etiam ea q̄ incorrigibilia vidētur, corrigantur: & quæ vix sperari queunt, eueniant. In Prouerbijs a Salomone est dictum: Legatus fidelis, sanitas. Et iterum: Vena vitæ, os iusti. Dauid quoque in psalmis: Docebo (inquit) iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Ille sanitas est, quo docente a peccatorum morbo grex infirmus conualescit. Ille vena vitæ est, per quem qui in peccato mortui erant, ad virtutem capeſſendam viuificantur. Tunc autem impius ad deum conuertitur, cum sermonibus prædicatoris instructus, relicto errore, ad viã sese confert veritatis. Quid verbis opus est? Experimenta docent, quam sit expeditius prædicationes audire. Sæpe vidimus his auditis, Iudæos baptismum poscere Christi, seculares viros ac mulieres religionis vota suscipere: & quæ perfectio- nis sunt, libera voce profiteri. Prædicationes igitur au- diendo, homines ex malis boni euadunt, ex bonis meli- ores, ex melioribus perfecti, & ex perfectis beati. Atq̄ ita demum de terra transferuntur ad cælum, vt fiãt de mortalibus immortales, de terrenis cælestes, & si fas est dicere, de hominibus dii. Quod si magni emolumentum res est patriam obsidione hostili liberari, inimicorum exercitus profligari, regni fines longe lateque diffundi, & auctis tandem viribus a bellorum tumultu quiescere, tranquillique ac pacati status optata felicitate frui, nõne vtilius est, vt animæ vittorum oppressæ iugo, in libertatem vendicentur, vt diaboli potestas virtutū profectu conteratur, vt caro seruiat spiritui, & homo ipse nõ alijs, sed q̄d multo gloriosius ē, sibi ipsi imperet, sibiq̄ dominetur? Si enim nihil prodest homini mundum vni- uersum lucrari, & animæ suæ pati detrimentum, conse- quens est vt animæ profectus pluris sit, quam vrbes de- bellare, quam terrarum orbem sibi subdere, & omnibus quæ vbiq̄ sunt nationibus præesse atque dominari. Ad- de quod multi reges ac principes, qui ab hominibus ho- norantur, deo exosi sint. Quicumq̄ aut̄ p̄be sancte q̄ vi- xerit, siue liber, siue seruus, non potest ei non esse gratis- simus q̄dem atq̄ charissimus. Quid aut̄ iuuat regnis p̄si-

ere, & ab ipso rege regum reprobari? Regnum tibi si hostis non abstulerit, certe auferet mors, quæ semper propinquior est quam creditur. Cælestis vero beatitudinis præmium, perpetuum est & perenne. Nullius minas metuet, qui illud consecutus fuerit, nullos casus formidabit, semperq; felix ac beatus erit, quem semel dominus in suum receperit regnum. Et si ad tantum ac tale bonum per sanctorum doctrinam peruenitur, nulli dubium est quin super omnia conducibile sit, sanctas in ecclesia auctoritate prædicationes, & earum institutionibus in vitam dirigi virtutum. Audisti quantum expedit habere vitæ institutorem, audi e diuerso, quanti detrimenti sit eo carere.

Quantum nocet prædicatorem non habere. Caput. XVIII.

Malarum voluptatum ille cebris delinuiti homines, in omne nephas licèter irruet, si nemo sit qui improbe luxuriantes eloquij viribus coerceat atque moderetur, & futurorum expectatione a præsentium cura auertat, vt vel pœnarum metu, vel spe præmiorum a vitijs ad virtutem transferantur. Hoc Salomon in Proverbijs testatur, dicens: Cum propheta defecerit, dissipabitur populus. Dissipabitur utiq; populus, non corporum motu, sed quod deterius est, inconstantia moris, carni magis q̄ sp̄i seruiendo. Neq; enim fieri potest, vt sit ibi virtuti locus, vbi non est qui doceat virtutem. Hinc idē ait: Vbi nō sunt boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis. Nam quemadmodum de labore bouum paleis ac feno impletur præsepe, ita per studium prædicationis auditorum corda imbuuntur præceptis iustitiæ, exemplisq; virtutū & fructū faciunt operando q̄ didicerunt. Atq; tunc bouis triturationis, cuius os vinciri lex prohibet, fortitudo apparet, cū in plebe, vbi lolium & steriles auenæ erant, bonarum actionū seges exurgit. Porro vbi nō sunt boues isti, ibi præsepe non solū vacuum est, sed etiā immundū. Tunc enim luxuriæ frenata laxat, gulæ ventriq; indulget, tunc impa-

Prou. 20.

Prou. 14.

Amos. 8.

Thren. 4

dicitia amittit verecundiam, in iustitiâ metum, avaritia modestiam: tunc odia concipiuntur, iræ exardescunt, rixæ sæviunt, & quo libet flagitiî genere libere peccatur, cum non adest qui peccantes verbo correptionis castiget, & sermonibus doctrinæ salutaris incitet ad probitatem. Fit autem plerunq; ut plebs aliqua propter scelerum magnitudinem cordisq; duritiam indigna sit, cui deus mittat sui verbi doctorem. Vnde p Amos prophetam ait: Mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum dñi. Itaque verendum est, si in ciuitate suis temporibus non affuerit euangelicæ disciplinæ prædicator, ne ad extremum vsque scelerum peruentum sit. Quod cum acciderit, nihil reliquum est, nisi ut funditus auertatur gens illa & pereat, quæ ab eo, cuius nutu cuncta sustentantur, derelicta erit. Sunt præterea qui discere quidem vellent, sed non est qui doceat: esuriunt & sitiunt iustitiâ, & non inuenitur, a quo præceptis iustitiæ saturentur. Hos deplorat Ieremias, & ait: Adhæsit lingua lactantis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Hi certe miseratione digni, quia dum bonis exaturari cupiunt, malis quomodo sciunt, abstinent. Ne quem autem scrupulum patiantur erroris, orandum est ut mittat dñs operarios in messem suam. Quicquid interim patiuntur, pastore culpa fit, qui præsumt ecclesijs, & dum seipsum pascunt, gregis esurgentis periculum negligunt. Quod si eorum incuria ouis aliqua perierit, sanguinis eius rei erunt. Dñs Iesus redemptor noster aluit turbam in deserto, ne deficient in via: ut ostenderet eos in via vitæ deficere, qui non habent ducem, a quo pducantur ad vitam. Nulla aut maior hominum contingere potest pernicietas, quam a recti honestiq; tramite deuiare. Tam ergo malum est carere viuæ vocis hortatoribus, ad coercenda vitia & virtutesq; capessendas, quam bonum eos habere. Quare vos omnes, qui in deserto sæculi huius vitam agitis, & terrenarum rerum sollicitudinibus occupamini, quærite pius quærite sanctum opportunis temporibus vobis monitorem, qui declamante & modestius discatis viuere, & me-

liora possitis sperare. Vos quæ qui dono dei spiritali doctrinæ scientiam estis consecuti, incumbite operi officii et prædicandi ac docendi. Cogitate quanti apud deum metiri sit, catholicis fidelibusque præceptis erudire indoctos, & vel unum vel alterum Christo lucrari. Quanta etiam dilectionis argumentum, omnes docere, ut omnes vobiscum simul saluentur. Non sit vobis graue. vrbes, vicus, regionesque percurrere, & illos imitari, de quibus scriptum est In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terre & psal. 18
 ba eorum. Qui non modo illos qui tunc erant, docuerunt, verum etiam posteros omnes qui sunt quique deinde erunt, ad quoscumque scripta illorum puenerint. Ac ne quid ex his quæ in terra fiunt, sanctorum labore doctorum maius esse credatis, hoc labore fundata est Christi ecclesia, hoc ædificata, hoc permanet & aduersum hæreses inuicta, & aduersum vitia immobilis, nisi enim scripsissent illi, quibus datum fuit nosse mysterium regni dei, quæ nunc quæ sunt discerere quæ doceret? A prophetis, ab apostolis, a reliquis ecclesie sanctæ magistris didicimus, quæ nunc docemus. Ipsorum profecto qui discipulus non fuerit, non poterit esse utilis præceptor aliorum.

De corporis manuumque labore. Ca. xix.

Quoniam vero prædicandi ac docendi exercitatio ad eruditos tantum pertinet, simplicibus & indoctis eam dabimus exercitacionem, quæ corporis manuumque labore constat. Iuuat enim post soluta precatationum sacrificia operis aliquid facere, ut habeat mens & cogitatio in quæ se occupet, & minus libera sit facultas euagandi per illas rerum temporalium vanitates, quæ vel iuitis nobis obrepere interdum & obuersari animo solent. Honestus quæ labor monacho conuenit, aut legere aut scribere quæ sancta sunt pingere etiam vel fingere sanctorum imagines, quarum contemplatione accendatur ad salutem. Item in horto plantas ponere, sarculo inutiles herbas excerpere, humum ligone versare, riuulis irrigare, & si quid aliud res exegerit, olitoris opera perficere. Præceptum est enim: Non oderis laboriosa opera, & agri- Ecc. 7
 colationem creatam ab altissimo. Præterea fiscellas len

Petrus
Paulus

Antonius,
Hilarion.
Serapion.
Archebius
Pacomius
Dorotheus

Labor cor
poris.

tis viminibus texere, ligna dolare, onera ferre, & quicquid dei seruo non illicitum factu creditur peragere; neque committere, vt inertia victus quiescat, & quæ prædicationi aut lectioni supersunt tempora, otio sibi perdat. Ista autem o monache, quæ tibi facienda iniungimus, ne quasi vilia & abiecta contemnas: illi qui talia factitarunt, a domino sublimati sunt, piscabatur Petrus cum alijs, etiam post acceptum apostolatum. Paulus funiculos intorquebat, ne quem sui victus impensa grauaret, nunc a regibus terræ venerantur. In humili igitur opere exerceri ne asperneris, qui cum Christo cupis in celestibus regnare. Non te pudeat pauimenta monasterij, vt munda sint, verrere, vasa mappasque lauare, coquinam facere, esculenta poculentaq; alijs ministrare. Non puduit omnium dominum seruis suis pedes abluere, tergereque ablutos. Qui talia detrectat, scias illum nondum ad humilitatis virtutem peruenisse. Seruilia igitur opera fac, vt humilieris: laboriosa, vt carnis petulantiam domes, venalia, vt victum pares: religiosa, quæ pingendo vel fingendo fiunt, vt quod professus es constantius exequaris. Etenim sanctorum simulacra siue picta, siue ficta, si iugiter spectentur, stimuli sunt desidia fugienda laborisq; subeundi, dū ad mentē nobis reuocant, quibus artibus ipsi sēti æternā beatitudinem consecuti sint. Hanc certe adepti sunt: Antonius qui sportulas de palmarum folijs texuit; Hilarion, qui ligna concidit; Serapion, qui cum suis discipulis messis tempore operam locabat, vt inde haberet, quod ipsorum victui annuo sufficeret. Archebius qui suis manibus cellas construebat quas alijs donaret. Pacomius cui cū suis monachis propositum fuit manuum labore victum quærere. Dorotheus qui diuenditis quas texerat sportulis, pretium quod victui superesset, pauperibus erogabat. Non prauis cupiditatibus resistere, non ad perfectionem vitæ peruenire potuissent: si subcisiua tempora otio contriuissent. Labore quippe corporis vegetatur intellectus, voluptatum appetitio coercetur, superbia frangitur, virtus retinetur, & quicquid per otio-

um corruptum fuerit, per laborem instauratur. Denique operum orationumque vicissitudine diaboli tentamenta superantur, & in proposito vitæ sanctioris in finem usque perseveratur. Si paupertatem professus es, magis liber eris cum manuum labore victum quaesieris, quam cum eleemosynam acceperis. Laboramus, inquit Paulus manibus nostris. Et si manibus laborabat is, cui ut Christum prædicaret iniunctum fuerat, quanto magis ei labor hic necessarius est, qui neminem docet, cui post dictas deo laudes orandum est, nisi se alicui corporis labori accingat. Ad Thessalonicenses ille scribens, fatebatur opera manuum fecisse se, ne quem gravaret subsidia vitæ postcundo pro ministerio verbi, quamvis id liceret, volens potius dare se in exemplum operandi victus gratia, quam postcundi, & si quis non vult operari, inquit, nec manducet. Cumque esset Ephesi (ut Lucas refert) ad maiores natu locutus est: Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ opus erant mihi, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Hunc ergo qui inter apostolos plus omnibus operæ impendit in prædicando & scribendo, si sequi in istis non potes, imitare saltem in manuum exercitio ac labore. Sic enim & necessitatibus vitæ tuæ consules, & simul vanis cogitationibus facile dabis repulsam paratiorque ac promptior ad soluenda precum vota redderis. Nam quemadmodum varius cibus appetentiam edendi prouocat, & cœna placet in qua apponuntur aliarum dapum diuersarumque ab illis, quæ in prandio fuerunt, ita & orationem gratiorem faciet magisque delectabilem alterius operis vicissitudo. Quod autem ait dominus, Nolite solliciti esse animarum vestrarum quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, sollicitudinem metuendi, ne vitæ necessaria desint tollit, non laborem admittit, ut simul quod in te est facias, & omnium in deo spem habeas firmam atque stabilem. Otiosi autem vana est spes Terra ipsa non reddet fruges, nisi araueris, sementemque feceris. Primo homini dictum est, In sudore vultus tuivesceris pane tuo, & tu panem parare tibi posse pu-

1. Cor. 4

2. Thes. 3.

Ibidem.

Actu. 20

Lucæ. 12.

tas nihil agendo, vel cupidines malas vincere & sensibus imperare? Crede mihi, non otium hæc omnia superat, sed labor improbus (vt poeta inqt) & duris vrgens in rebus egestas. Monachum itaque & pauperem & laboriosum esse oportet; pauperem vt in deo diues sit; laboriosum, vt facilius perueniat ad quietem. Vnde dono dei sapientissimus Salomon mittit te ad formicam, vt eius exemplo tibi aliquid pares, quo postea es vsurus, hoc est, vel victum ne esurias, vel in operando occupationem, ne carnis diabolique oppugnationibus per inertiã succumbas. Ingentem (vt idem ait) formicæ faris aceruum Cum populant hyemis memores, tectoque reponunt. It nigrum campis agmen, prædamque per herbam Conuectant calle angusto, pars grandia trudunt. Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt Castigantq; moras, opere omnis semita feruet. Tu ergo istas imitatus futurorum memor, præsentia bene dispone, & callem angustum ingredi, qui ducit ad vitam, non latum qui ducit ad perditionem. Suppone humeros labori, vt aliorum quoque desidia somniculosam tuo excites exemplo. Nullam interim lassitudinem timeas, laborantem adiuuabit dominus, & adiuuando consolabitur. Laborabant contra ventum remigando apostoli, quando saluatore in nauiculã ascendente cessauit turba & fluctus quieuerunt. Vocat quoque eos dominus qui laborant, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hanc tu refectionem intra te senties, quoties quicquid agis, ad eum finem direxeris, vt purius domino tuo seruias. Omne quodcumque facitis (inquit Apostolus) in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes deo patri per ipsum. Facere opus & gratias agere simul iuberis, vt & manum cum Martha ministerio occupatam habeas & mentem cum Maria diuinæ contemplationi intentam. Operari præterea manibus debes, non modo vt necessaria compares, vel mali tentamenta vincas, verumetiam vt habere possis quod alijs impartias, dicente Apostolo: Qui furabatur, iam non

Prou. 6.

Matt. 8.

Matt. 11.

Coloss. 3.

Ephes. 3.

De charitate Liber VI 457

foretur, magis autem laboret manibus suis quod bonū est, vt habeat communicare ei qui indiget. Hoc idem suo te exemplo hortatur mulier illa fortis, de qua scriptum est: Quæsiuit lanam & linum. & operata est con filio manuum suarum. Deinde sequitur: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Grandis profectò charitas, non tam pro sua quam pro aliorum inopia laborare, & operi propterea libentius incumbere, vt colas pietatem. In fine dicitur, Date et de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Ex quo discimus, quod charitatem sectantis labor, bonis tandem compensetur sempiternis. Veruntamen ne quis imprudenter supponat dorsum suum oneri, quod ferre non satis præualet, pensandæ vires sunt, moderateq; agendum. Nemo iumentum suū plus iusto onerat, & si illud viderit sub fasce gemere, ac titubantē vestigio male incedere, demit aliquid, vt pondus eleuet & ad mensuram oneratum ire dimittit. Haud aliter tibi de iumento corporis tui faciendum erit, alioquin iumentis quibusdam minus sapere videberis. Camelus enim neque vltra solitum procedit spatium, nec plus in stituto onere recipit. Quod si maius ferente fuerit onus necesse est vt opprimat, inconsulta effluunt, moderata autem durant. Neque enim qui tulerit laborem, sed qui pertulerit, æternæ quietis beatitudinem consequetur.

¶ De otio inutili & infructuoso. Caput XX.

VT autē & corporalis & spiritalis operis laborem cupidius ardentiusque subeamus, inertis otii vitium quod detestabile sit consideremus. Arguit stultitiæ qui laborem deuorat, dicente Salomone, Qui sectatur otium, stultissimus est. Idem pusilli animi esse dicit, Pigrum, inquit, deñcit timor. Sõno etiam magis quam vigiliæ deditus est. Pigredo, inquit, immittit soporem. Idem tam futuris quæ reges erit. Dicit etiam, Egestatem

Prou. 12.
Prou. 18.
Prou. 16.
Prou. 10.

operata est manus remissa, & iterum. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Otiosus ergo & stultus est, & meticulosus, & somnolentus, & animi fortunæq; bonorum egens atq; inopiosus. Nihil tamen in se peius habet otium, quam quod pateat concupiscentiis. Vnde dicitur, In desiderijs est omnis otiosus. Et rursus. Multam malitiam docuit otiositas. Cum autem otiosus malitiam didicerit, flagitiusq; se onerauerit, tacet in illis, & torpore victus vix vnquam de resurgendo cogitat. Nam si quando ad se rediens culpam agnoscat, impossibile sibi videtur, vt ab ea desistat. Et interdum ipse de sua pigritudine conqueritur, intra se cum propheta dicens. Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum. Sed cum liberum sit non peccare. nihil prodest difficultatem a peccato cessandi pretendere. Et quoniam animæ otio marcescentis ista imbecillitas est non naturæ, Viderunt eam hostes (vt in Ieremia est scriptum) & deriserunt sabbata eius, hoc est, infructuosam quietem eius dæmões intuentes lætati sunt, eo q; illam ignauiter torposcentem ad quæq; turpia facile se pertracturos, quasi piscem hamo sperarent, donec ad interitum vsq; deducerent. In hunc enim interitum corruit & Sodoma, de qua dicitur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ foris tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. Quod si non abundas, sed inopia premeris, & tamen otio indulges, non es a periculo perditionis liber, quandoquidem non solum abundantia & saturitas euertit Sodomam, sed etiam otium, imo tanto nequius otiaur pauper quam diues, quanto minus habet causam oriandi. Diues nempe cum otiosus fuerit, voluptatibus luxuriæq; operam dabit. Pauperi autem necesse erit, furto ac rapinis q̄rere vnde viuat, & in alios grafari, ne ipse fame pereat. Longe itaque periculosior est otiositas egentis quam abundantis. Quid præterea dicam? Frustra illi natura manus dedit, qui nihil agendo conterit ætatem, quod si necessaria forent ad applicanda tantummodo ori alimenta, etiam pecudibus data

Eccl. 33

Thren. 3

Thren. 1

Ezech. 16

fuiſſent. Operari manibus hominis proprium eſt. Qui ergo manus ſuas ad aliquid honeſti faciendum non extendit, pecudi certe ſimilior eſt q̄ homini, aut etiã pecude deterior. Mutum enim animal in multos uſus utile eſt, homo uero otioſus nulli prodeſt, ſibi autem etiam nocet plurimum, ut ex his quæ dicta ſunt, ſatis conſtat. Idcirco ſane & ab hominibus male audit, & a deo reprobat. Alij eum ſtatuam lapideam appellant, alij inertem aſellum, alij faruam anum aut nihili hominem, atq; hunc in modum petulantibus cauillantium uocibus taxatur, illuditur, laceſſitur, probro contemptuq; habetur.

Leuius tamen hoc ei ab hominibus ferendum eſſet, niſi etiam ab illo qui ſupra homines eſt damnaretur. Lex uetat eunuchum intrare in eccleſiam domini. Quiſnã iſte eunuchus eſt, niſi otioſus, de quo nulla proles oritur uirtutum? Non poteſt eunuchus generare, neq; languori ac ſocordia deditus aliqd boni facere. Repellitur itaq; ab eccleſia. ut cœtu fidelium indignus. Non eſt enim de illo eunuchorum genere, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Valde quippe diuerſum eſt, caſtiram deo uouere, & ſterilitatem boni operis torpeſcere, quod nõ deo, ſed diabolo ſeruire eſt. Hic eſt ille qui talentum ad negociandum acceptum abſcondit in terra, & cum nullum quæſtum fecerit, eiſci iubetur in tenebras exteriores, quarum horrorem ſletus auget & dentium ſtridor. Hic eſt, quem neque frigidum neq; calidum, ſed tepidum tantum Apocalypſis appellat. Cui uidelicet ſatis uidetur, ſi peccata cauerit quamais boni nihil operetur. Sed dum in iſto tepeditatis propoſito inſipienter perſeuerat, nauſeam facit domino dicenti: Incipiam te euomere de ore meo. Præcepit enim dominus non ſolum diſcedere a malo, ſed etiam facere bonum. Quod ſi bonum non feceris, licet a malis abſtineas, non es executus quod iuberis. Nolle autem obedire deo, malum eſt, tempus etiam ad bene agendum datum ſine fructu elabi ſinere malum eſt. Non poteſt igitur fieri, ut otioſus mali omnino expers ſit, cum etiam ipſum otium malum ſit. Merito itaq; & ab eccle-

Deute. 23.

Matt. 25.

Apoc. 3.

Mat. 3.
Mar. 14
Luc. 13

Psal. 136.

fiat propellitur, & ab ore domini veluti mucidus panis expuitur, atque ad tenebras relegatur, ut semper patiatur malum, qui nunquam facere voluit bonum. Omnis enim arbor quae non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Ficus etiam habens folia, sed non et fructum a domino maledicatur & arescit. Illam quoque ficum dominus vineae succidi iubebat, ne terram occuparet, in qua iam per triennium fructum non viderat, sed ad peccata cultoris vineae volentis arborem ipsam circumfodere, stercoraque apponere, quarto etiam anno expectavit, ut fructum faciat. Expectat utique elementissimus dominus ab otioso boni operis fructum in pueritia, expectat in iuuentute, expectat in aetate virili, denique ecclesiae praepositi alicuius verbis exoratus expectat usque in senectam, ut ille tandem eiusdem praepositi vel increpatione impulsus, vel praepceptis eruditus, ab ignavia mollitietque animi ad studium honesti laboris excitetur & exurgat. Quod si ne tunc quidem desidiam infructuosam reliquerit, quid aliud restat, nisi ut dimittatur damnationis iustae secure succidendus? Ne igitur tibi placeas otiose, quod nihil boni agens adhuc non propter dilatationem poenae est istud, non vitii impunitas. Quanto diutius otiosus fueris, si te saltem in fine non correxeris, tanto acrius punieris. in salicibus infructuosis, in medio Babylonis. quae est mentis in delitijs perditae confusio, suspendisti organa sensuum tuorum, turpi voluptati deditus, & ad flagitia indies magis declinans. Quousque abutere patientia domini, emendationem tuam expectantis? Non vides? non animum aduertis? quam cito transeant dies & labantur anni, quam vnaquaque hora non ita vitae longioris, ut praesentis mortis certa sit? Nullus est enim temporis punctus, quo non arctantur vitae nostrae spatia, & quo mors nobis non propior sit. Quid ergo moraris? quid procrastinas? Rape tandem somnolentiam istam & expergiscere, ac tam supinae oscitationis tarditatem recte factorum sollicitudinem discutere festina, antequam rationem villicationis tuae reddere cogaris. Vel si usque adeo totus obstupu-

isti, vt virtutis operibus te parem fore diffidas, voto saltem aut lingua pcte languori remedium, aridamque ostentans manum, ad dominum suppliciter accede, & ipse postquam te pigritiæ tuæ pœnitere conspexerit, dicit tibi: Surge in medium, extende manum tuā. Tunc tu ope adiutus diuina, protinus exurges qui hæcenus iacueras, & in me dium stabis, in quo locus virtutis est. Nam extrema vitiosa sunt, dexteramque diu contractam extendere incipies, vt opereris bonum. Atque ita qui tua culpa inuili otī languorem patiebare, diuina gratiæ curatione saluus euades.

Luca. 6.

De humilitatis virtute. Ca. XXI.

Porro, quoniam ad acquirendam diuinæ benignitatis gratiam, opus est humilitatis virtute, tempestiuū videtur, vt nunc de ipsa disseramus, dñs em̄ qui in altis habitat vt in psalmo dicitur, humilia respicit in cælo & in terra. Superbis resistit, humilib, autem dat gratiam. Et in alio psal. Excelsus (inqt) dñs humilia respicit, alta aut̄ a longo cognoscit. Longe est em̄ ab eo qui inflatur, qui fastum fouet, seq̄ super alios erigit; & q̄to magis insolescit, tanto longius a deo recedit ad quem non est nobis accessus nisi per humilitatem, iuxta illud: Suscipiens mansuetos dñs, humilians aut̄ peccatores vsq̄ ad terram. Quod & Salomon in Prouerb. confirmat, d. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gr̄am. Et Isaias, ppheta: Deus (inquit) in sancto habitas & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, et viuificet cor contritorum. In eodem ppheta dñm andimus dicentem, Ad quem respiciam nisi ad pauperulum & contritum spiritu, & tementem sermones meos? Et in Zacharia: Conuertam manum meam ad paruulos. Quæ autem maior gratia humilibus in vita dari potuit, quam yæ religionis cognitio quæ in arcano latebat, & quam ne philosophi quidem inuenire poterant, eam nos CHRISTO monstrante didicimus. Vnde ipse ad patrem conuersus: Confiteor tibi (inquit) pater domine cæli & terræ, quia abscondisti

Psal. 112.

Psal. 137.

Psal. 46

Pro. 3.

Isa. 57.

Isa. 66

Zacha. 13.

Mat. 11

Psal. 8. hæc a sapientibus & prudentibus. & reuelasti ea paru-
 lis. Paruuli sane atque humiles erant Apostoli, qui pri-
 mi didicerunt vt alios docerent mysterium dei, de quib-
 us in psalmo fuerat prædictum a propheta ad deũ di-
 cente, Ex ore infantium & lactentium, hoc est, sermoni-
 bus & per dicatione simplicium & vulgariũ hominũ
 perfecisti laudem, laudem veritatis, laudem euangelij,
 disciplinæq; salutaris, ut quam mundanæ sapientiæ a-
 cumen inuestigare nequiuit eam piscatorum hebetudo
 docere inciperet. Hinc est illud quod Paulus apostolus
1. Cor. 1. ait, Stulta mundi elegit deus, vt cõfunderet sapientes,
Sopho. 2. & infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia. Idẽ
 dominus humilium precibus facilem se præbet, arro-
 gantes vero nõ exaudit. Ideo Sophonias propheta hor-
 tatur & ait, Quærite dominum omnes mansueti terræ
 qui iudicium eius estis operati, quærite iustum, quæri-
 te mansuetum. Sciebat enim vt iustus & mansuetus do-
 minus exoretur, ad seruos iustos mansuetosq; spectare
 Seruum quippe qui gratus charusq; domio suo fieri de-
 siderat, mores eius imitari oportet. Nam quemadmo-
 dum dissimiles inter se dissident ac disseparantur, ita si-
 milium summa semper concordia est, & dũ paribus ni-
 tuntur studijs, mutua beneuolentia incalescunt. Quod
 autem humiles exaudiat deus, per oēs fere diuinæ scri-
 pturæ historias patet; Sancta vidua Iudith cum Holo-
Iudith. 9 pherne congressura, ciliciũ induit, ieiunat, orat, & ait:
 Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium &
 mansuetorum semper tibi placuit deprecatio; & illa q-
 dem sicut humiliter orauerat, ita quod volebat, perfe-
Mat. 8 cit. Clamat in euangelio Ceterio; Domine non sum di-
 gnus vt intres sub tectum meũ, & eadem hora qua sic
 humiliatus est, quod petierat impetrauit, neq; em̄ fru-
Ecci. 3 5 stra scriptum est, Oratio humiliantis se nubes penetra-
Mat. 15 bit, Chananaea mulier iam repulsam passa, iam in canũ
 comparatione contempta quia ab humilitate non recessit,
Luce. 15. meruit tandẽ exaudiri. Filius prodigus consumpto
 patrimonio ad patrẽ cũ hũilitate reuersus, inuenit ve-
 niam. Peccaui (ingt) in cælo & corã te, iam non sum dñi

gnus vocari filiustuus. Atq; ita hūiliatus āplexū meru-
it p̄ris osculū, indumēta, anulū, cōuiuū. Quod ergo lu-
xuria exhauferat, hūilitas reparauit. Publicanus peccat⁹ Luca. 18
percutit, cōsciūsq; delictorū, oculos in cælū non audet
attollere, & iustior redit pharisæo, qui ieiunabat, q; de-
cimas soluebat, qui bona multa faciebat. Illius em̄ pec-
cata deleuit hūilitas, huius merita corrumpit mentis ela-
tio. Nō sum sicut cæteri hoēs, inqt, & q; se cæteris p̄fer-
re nō dubitauit, publicano etiā postponendus iudicat.

De exaltatione humilium in lege.

Caput.

xxij.

Non solum quæ poposcerint humiles cō-
sequuntur, sed etiam mirabilium operum gra-
tia donantur & post hæc præmia beatitudinis
æternæ cumulatiuſ capiunt. Abraham puluerem & ci- Gen. 18.
nerem se esse dixit loquens cum deo, benediciturq; ei & Abraham.
semini eius. Iacob submittit se fratri Esau, atque illum Gen. 32.
dominum suum vocat, per nuntios ab eo captat bene- Iacob
uolentiā, mittit munera vt leniat iratum, & post hæc
gloriatuſ dicens, Vidi dominum facie ad faciem, & sal-
ua facta est anima mea, & tamen adhuc submissius agit
Obuiam enim factus fratri, septies pronus in terram Gen. 33.
adorat, donec proxime accederet. Atq; hac tanta subie-
ctione ab indignato fratre extorsit pietatem, ita vt il-
le quem perdere decreuerat, in eius collū ruens ipsum
amplexaretur, osculareturque dulcius quam dici que-
at, & fraterna teneritudine superatus fieret. Vnde rur-
sum bñdictionem accipit a dño, & indit ei nomen Isra-
el. i. vir videns deum. Deum ergo videre meretur, q; se
ppter deum hominibus humiliat atq; submittit. Loquē Exo. 3.
te dño de rubo corruit Moyses in faciem, & cum mitte Moyſes.
retur ad Pharaonem, educendiq; de Aegypto populi
dux constitueretur, indignū se fatebatur eo munere, at
q; id inire recusabat. p̄ illis etiā a qb. passus fuerat, in-
iuriā suppliciter deum deprecatus est. Quas ob res meru-
it fieri populi Israelitici liberator de Aegyptiaca serui

- Numeri.ii** tute, legisque diuinæ lator & multorum mirabilium autor, atq; alijs præferri dei iudicio dicentis: Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei, palam & non per ænigmata & figuras deum videt. Hinc est illud in Ecclesiastico scriptum: Dilectus deo & hominibus Moyses. Et post pauca. In fide (inquit) & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. **Dauid.** Dauid quoq; mansuetus & mitis, vel si mauis dicere humilis, persecutionem Saulis odiumq; capitale maluit vitare fugiendo quam vindicando, cum illum semel atque iterum occidere potuisset, noluit. Ab inimicis p̄fligatum & interemptum fleuit. Ideoque dignus iudicatus est, qui ei succederet in regno. Absalonis etiam filij necem lachrymis & lamentationibus prosecutus est, in eo bello interempti, quo ille nitebatur patri regnum eripere. Qua quidem pietate Dauid, vel patientia, vel humilitate, quodcumque horum dixeris, recte dictum erit: promeruit ad decrepitam vsque ætatem regnare, inimicorum victor, & ipse inuictus, omniumq; regum Iudææ deo clarissimus. Vnde futuræ beatitudinis spe plenus, Placebo (inquit) domino in regione viuorum. Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Quanto maiora sperat, tanto magis humiliatur. Non enim euehit mortales ad cælum superbia, sed humilitas, Iob patientissimus cum fortunæ simul & corporis bona amisisset ad extremam redactus miseriam, humilitatis virtutem non amisit. Folium se quod vento rapitur & stipulam siccam vocat, dum dominum alloquitur, & tot tantisq; calamitatibus affectus, nihil stultum locutus est. Post hæc sibi restitutus, duplicia recepisse dicitur, vt quantum se humiliauerat, tantum exaltatum vel duplo magis intelligas. Duos quinquagenarios ab Ochozia rege missos, vt Eliam prophetam comprehenderent, ignis de cælo lapsus absumpsit: tertium humilitas reddidit tutum. Flexis coram Elia genibus veniam precatus, vitæ

Psal.ii4.
Psal.ii

Iob.

4.Reg.i.

periculum euasit. Superbi ergo prouocant iram dei, hu-
miles autem prouocatam placant. Amos pastor, quia
miris mansuetique ingenij fuerat, spiritu sancto reple-
tus, prædixit Samariæ mala futura, & prophetis meru-
it annumerari. At etiam propheta dignitate prædi-
tus non insolescit, sed magis humiliatur. Non sum pro-
pheta, inquit, nec prophetae filius, sed armentarius vel
licans sycomoros, & dominus misit me prophetare ad
Israel. Dum exaggerat domini beneficium, suæ condi-
tionis confitetur obscuritatem, de armentario factus, p-
pheta: si dissimulasset, & ingratus quidem haberetur,
& humilis parum. Quid multa? sic habe, neminem in v-
tutibus profecisse, neminem sanctum vel deo charum
fuisse, cui defuit virtus humilitatis. Fundamentum cu-
stosq; virtutum, & de terra ad cælum ascendendi via,
est humilitas. Per hanc omnes prorsus ingressi sunt q-
nunc in supernis sedibus habitant, facti domestici dei
ciuesq; sanctorum.

Amos.

Amos. 7

De exaltatione humilium in euan-
gelio. Caput. xxiij

N Et tamen nouorum exempla omnino præterisse
videar, Iohannis Baptistæ, Petriq; & Pauli apo-
stolorum humilitatem in medium proponam
De his enim disertius expressum in scripturis compe-
rio. Iohannes interrogatus q's esset, negauit se esse Chri-
stum, malens v-itate submitti, q' efferi mendacio, & ne-
q; Eliam, neq; prophetam se esse asseruit dum humilia-
tur. Proinde Christi testimonio extollitur, quod vide-
licet in spiritu Eliæ venisset, q' plus q' propheta esset, q'
deniq; inter natos mulierum nemo illo maior surrexif-
set. Ille tamen modis omnibus deñcere se & humiliare
non destitit, cum de Chro diceret: Ipse est qui post me
venit, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus
vt solua' corrigiã calciamenti. Petrus piscator erat, &
in Christu credens indignu se eius consortio iudicauit
Exi a me (inqt) dne, qa ego ho peccator sum. Ob hoc ad
apostolatũ vocari meruit, vt q' retibus pisces capiebat,
p'dicatiõe v-itatis homines caperet. Solus nō sinebat si-

Iohannes
Baptista.

Iohan. 1.

Petrus
Lucæ 5

Iohan. 13

bi a domino lauari pedes. Postquam autem se cum illo partem non habiturum nisi lauaretur intellexit, non solum inquit pedes, sed & manus & caput. Prima vox humilitatis fuit, secunda charitatis. A quo nolebat lauari ab eo separari pertinuit. Porro quoniam & humiliabatur plurimum, & vehementius quam ceteri diligebatur, dedit ei dominus claves regni, & principem constituit Apostolorum. Paulus de vase iræ vas factus est electionis, quantum antea furore aduersus Christum intumuerat, tantum deinde propter Christum humilitate se detecit. Ego (inquit) sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei. Gratia autem dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborauit. Ac ne laboris laudē sibi tribuere videretur, subdit: Non ego autem, sed gratia dei mecum. Alibi etiam omnium infimum se fatetur, dicēs: Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi. Dum Lystris cū Barnaba prædicationis officio fungerentur, dii crediti, diutnum sibi exhiberi honorē vsque adeo respuerūt, vt scissis vestibus mortales se esse clamarent, & ob hoc quidem missos, vt falsorum deorum cultoribus veri dei notitiam insinuent, salutique eorū qui credituri sunt consulant. Et hi sane de quibus locuti sumus, ceterique eiusdem ordinis homines, si nosse vis ad quantam gloriam in cælo exaltati sint, considera qualem dum in terra viuerent, gratiam acceperint. Cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos viuificare nulla possunt medicamenta, isti potuerunt. Si magna gratia hæc, haud dubium quin etiā magna, quæ gratiā secuta est, merces fuerit. Quanto igitur humiliores deo seruiendo erimus, tanto gloriam celsiorem consequemur. Cæterum cum multos hoc loco breuitatis causa preterierim, quorum exemplis vt i magnifice poteram Mariā tamen dei matrem, eiusque filium saluatorem nostrum silentio prætermittere nullo modo possum. Hæc fabrico desponsata fuerat, in turba pauperum incognita la

Mat. 16

Paulus

1. Cor. 35.

Ephesi. 3.

Act. 14

Maria mater dei.

tebat, in tantum autem humilitate placuit, ut a deo electa sit, quæ dei filium generaret. Vnde ipsa gloriatur, dicens, Magnificat anima mea dominum, & exultavit spiritus meus in deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Quid enim maius virgini conferri potuit, quam ut creatorem suum pariat, quam ut domini sui mater sit, & hoc quidem non violata virginitate, sed sanctificata, ut purius niteat in secunda, quam nitebat in sterili.

De humilitate Christi. Ca. xxiiij.

DEI vero filius factus est hominis filius. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Quid deinde & vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre: plenam gratiæ & veritatis. Qui eius gloriæ consors esse desideras, eius humilitatis prius te socium ac participem exhibeas oportet. Non est discipulus supra magistrum, neque servus domino suo maior, ut exaltari velit sicut dominus, & humiliari nolit sicut servus. Hunc autem omnium autorem, omnium salvandorum doctorem ac redemptorem. Phi, 26 Paulus Philippensibus in exemplum proponens, ait: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Audisti humilitatem, attende gloriam, Propter quod (inquit) & deus exaltauit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Neque humiliter divinitas inclinare se potuit, quam ut hominem assumeret seque hominum potestati submitteret, ad flagella & mortem, per ludibria sustinendam; neque sublimius attolli

Psal. 44

uit humanitas, quam vt diuinitati vnita, vnus Chrs & deus esset & homo, sedens ad dexteram patris, a spiritibus angelicis omniūq; sanctorū cœtu venerandus: mortuos & viuos iudicaturus in eadem humanitate, in qua voluit ab homine iudicari, tunc humilis quidem, nunc gloriosus. tunc mortalis, nunc immortalis & impassibilis. tunc seruus, nunc dominus. tunc infirmus, nunc ponens inimicos scabellum pedum suorū in yga vturis suæ. Tunc nō erat ei spēs neq; decor, nunc dicitur ei. Spe cie tua & pulchritudine tua intende p̄spere, procede & regna, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam: nunc regnum eius regnum omnium seculorū. Sed paulo distinctius videamus, a qua humilitate ad hanc sublimitatem peruenerit, quam tamen semper habuit a patre & cum patre cōem. Cum igit̄ deus esset, hoīem quem ipse fecit, assumpsit nunq̄ dimissurus, vt & homo fieret, & deus esse non desineret: de paupcula matre nasci voluit non in vrbe regali, sed in paruo oppidulo Bethlehem, nō saltem in domo vulgari, sed in iumentorū stabulo, vbi reclinatus in p̄sepio vagit. Ab angelis nunciabatur, a pastoribus quærebatur, a magis adorabatur, & tamen ipse contemptibilis & despectus apparere volebat. Adultus non habuit vbi caput reclinet suum, alienis impensis sustentatus est, alieno vsus hospitio. Qui cælum terramq; fecerat & quæ in eis sunt, hic die ac nocte in laboribus fuit, docendo, sanando, orando, miracula operabatur & latere volebat. Super asinam sedens intrauit Hierosolymam, cuius sedes cælum, & terra scabellum pedum erat. Lauit discipulorum suorū pedes, cui angeli seruebant. Cum innocens esset, pro peccatis nostris ab incredulis q̄s ipse saluare venerat, comprehendi, ligari, conspui, cædi, occidi voluit. Atq; ira se submitit obrulitque vltro omnibus impiorū iniurijs, qui mundum pugillo continet, qui terram respicit & facit eam tremere, in quem angeli intueri gaudent. qui vita est omnium quæ viuunt, & autor quæ subsistunt. Quid ergo vel magnificentia eius maius, vel humilitate abiecius? Nemo æquare potest eius humilitatem, quia ne-

mo habet tantam de qua descendat sublimitatem. Satis est si vestigia eius obseruantes, quantum possumus nos humiliter submissequeramus, ipso admonente ac dicente, Discite a me qui a mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Sit igitur nobis curæ, vt minimi simus, in omnibus patientes, in omnibus mites & mansueti. nulli malum pro malo reddentes, paruo contenti, in laboribus assidui, seruire magis quam præesse cupientes, nunquam captemus hominum gloriam, sed semper dei laudem, & proximorum profectum. Parati simus omnia supplicia, omne mortis genus perpeti prius quam deo peccare. Per hanc humilitatem aditum nobis parabimus in cælum & gaudijs perfrui merebimur sempiternis, participes facti gloriæ domini nostri, cuius humilitatem in terra fuerimus imitati.

Mat. 23.

De humilitate vitiosa Ca. XXV

Sciendum tamen, esse alias quasdam humilitates, ex quibus aliæ quidem nihil ad hanc pertinent, de qua locuti sumus, aliæ vero ipsam reddunt vitiosam. Quid enim ad virtutem illa humilitas, qua obscuro loco natos designamus, humiles appellando demissi generis in plebe vulgaria viros, vel illa quam etiam rebus inanimatis insensibilibusque damus, nam & locum humilem dicimus qui p̄ssior iacet inter eminentes atq; demissior, & humilem arborem quæ non multum ab humo erecta sit. Sunt & alia duo humilitatis genera in scripturis obseruata, alterum cum quis aliorum iniquitate opprimitur affligiturque, iuxta illud, Populum tuum dñe humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt, alterum cum quis ob suam culpam pœnis aut calamitate aliqua grauatur secundum illud. Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Vtrunq; hoc in inuitum fit atq; non lentem, virtutis aut humilitas voluntaria est, p̄inde etiã illa quæ vitij est voluntaria esse constat. Illa itaq; non virtutis sed neqtie malignitatisq; erit humilitas, cum quis ea de causa præ se feret humilitatem, siue vt inter sanctos

Psal. 93.

Psal. 106.

Matt. 23.

Ponendus videat, siue ut facilius eleemosynā eliciat & lucretur. Tales erāt, q̄s in euangelio taxauit dñs, dicens, Væ vob̄ scribæ & pharisæi hypocritæ, q̄ mūdatis quod foris est calicis & paropsidis, intus aut̄ pleni estis rapina & immunditia. Exterius quippe cilicio se tegunt, nudis pedibus ambulāt, horridi, inculti, squalentes, illuuiosi, inter loquendū suspirāt, ingemiscunt, fatent̄ se esse peccatores, crebro ad orādum ꝑcumbunt, sed intus vel inanis gloriæ cupidine flagrāt, vel q̄rendæ pecuniæ cura sollicitantur, sepulcris dealbatis similes, foris q̄dem mundi puri q̄, sed intus pleni sordibus atque spurcitiā. Pernitiosa est ergo humilitas, fingere q̄d non es, & esse q̄d nō debes. Nam licet callida simulatione falli possint homines, deus tñ nunq̄ fallitur, oīa nuda & aperta sunt oculis eius, ipse cordis & renum scrutator, vnicuiq̄ reddit iuxta opa eius, quæ tunc q̄dem iudicanda exponuntur, cum nihil erit occultum quod nō sciat, neq̄ absconditum quod non reueletur. Quid ergo ꝑderit, humilem, sanctū, māsuētum ab hominib⁹ fuisse iudicatū, cum etiā hominibus manifestum erit, q̄lis reuera fueris? Neq̄ enim ex ꝑteritis aliorū rumoribus, sed ex consciētia tua ꝑsenti iudicaberis. Cæteræ veræ quoq̄ ac sanctæ humilitatis valde studiosis cauendū erit, ne forte humilitatē putent, eos quibus ꝑpositi sunt, non corripere si deliquerint, non castigare si ꝑseuerarint. Negligentia est istud non humilitas, & charitatis quam ꝑximo debes obliuio. Debes enim curare, vt eos qui tibi commissi sunt, efficias meliores, docendo, increpando, puniendo, quod si ꝑ ignauitiam teneritudinemue animi omiseris, non mitis neq̄ mansuetus, neq̄ humilis, sed e contrario inhumanus & a charitate alienus fuisse argueris, creditiq̄ tibi gregis nō pastor, sed desertor. Quæris fortasse cur ergo ꝑcipiat dñs. Qui maior est v̄m, fiat sicut minor, & qui ꝑcessor est, sicut ministrator? Non hoc dicit vt peccantes non arguas, quos & ipse flagello de templo expulit, sed vt in laboribus opereq̄ seruii cum ipsis quibus ꝑsides, communices, & in spiritualibus negotiis grauiora onera tuis q̄ aliorū humeris imponas, necessitatibusq̄ domesti-

Mar. 20.

eorum tuorum pro viribus prospicias, & tãquam filiis ministros, indulgentissimiq; p̄ris fungaris officio, nihil p̄mittendo quod vel ad humilitatem pertinere videbitur, vel ad charitatem. Definiamus igitur vitiosam fore humilitatem, quæ charitati alijsq; virtutibus nõ fuerit copulata. Nam neq; libidinosi p̄derit humilitas, neq; gula ventric; seruentibus, neq; alijs alicui flagitio subnixis. Prima humilitas esse debet deo obedire, deinde p̄positor; iussa exequi, postremo facilem se omnibus p̄stare, neminem offendere, & pati potius iniuriam q̄ inferre: nihil terrenum appetere, sed cælestium desiderio semper inhærere. Quicq; ita se humiliauerit, exaltabit & vna cum illis quos in exemplum proposuimus, gaudebit in æternum gloriosus. In psalmo enim dicitur: Iuxta est dñs his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et in euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsor; est regnũ cælor;. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et alio psalmo: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Possidebunt ergo humiles terrã, non hanc ærumnã; & inquietudinis plenam, sed illam in q̄ iugis tranquillitas & pax est perennis, quæ etiam terra viuentium dicitur, iuxta illud, Credo videre bona domini in terra viuentium. Humilemur igitur (vt Petrus apostolus p̄cipit) sub potenti manu dei, vt nos exaltet in tempore visitationis. Nihil est p̄a humilitate p̄stantius, nihil tranquillius, & a perturbationibus animi magis remotum. Humilitas patiens est, benigna est, nec contempta irascit, nec laudata se extollit, nec aduersis concutitur, nec prosperis delinit, in vtraq; fortuna æquabilis perseuerat. Vulgi quidem opinione despicit, sed sapientissimi cuiusq; iudicio cõmendatur, summiq; dei benignitate ad cæleste regnum sustollit, & coronatur. Expediens nunc videtur, vt de contrario humilitati vitio, superbia differamus. Nam virtutem ardentius amplectemur, cum nequitia; turpitudinẽ magis plene cognouerimus.

Humilitatis ordo.

Psal. 33.

Matt. 5.

Psal. 36.

Psal. 26.

1. Petri. 1.